CONC NAZ
PROV. DIOC
162
E
21.
BIB NAZ NAPOLI

Digitized by Google

SYNODUS DIŒCESANA

TRICARICENSIS

HABITA DIE QUINTA MENSIS JUNII, FERIA QUINTA POST PENTECOSTEN, ANNO REPARATAE SALUTIS 1890.

SUB PRAESULATU

ILL. ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. FORTUNATI PINTO

PATRITII SALERNITANI, ET SACRAE REGIAE MAJESTATIS A LATERE CONSILIARII etc.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

NEAPOLI

Ex Officina VINCENTII MANFREDII

Superiorum permissu

MDCCCL

Digitized by Google

EDITTO PER LA CONVOCAZIONE DEL SINODO.

FORTUNATO PINTO

Patrizio Salernitano per la Grazia di Dio, e della S. Sede Apostolica Vescovo di Tricarico, Consigliere *a latere* di S. M. (D. G.) e Barone della Terra di Montemurro, ed Armento, e del Feudo di Andriace.

A' Capitoli, e Cleri della Diocesi di Tricarico Salute, e Benedizione.

FRA gli altri doveri del Ministero Episcopale uno de' più importanti è senza dubbio l' obbligo di convocare da tempo in tempo i Sinodi Diocesani su i luminosi esempj, che ci han dato i più zelanti Pastori da' primi secoli della Chiesa fino a dì nostri, ed a tenore di ciocchè nel sacrosanto Concilio di Trento venne stabilito su tale articolo.

E' già gran tempo da che abbiam desiderato di convocare il nostro Sinodo Diocesano, ma abbiamo creduto, che più profittevole riuscito sarebbe, convocandosi dopo terminata la Visita della Diocesi, perchè nel decorso della medesima si scorgono quali siano le lodevoli pratiche delle Chiese, che debbono confermarsi, quali gli abusi, che debbono toglierſi, e quali i stabilimenti, che debbon farsi per promuovere la maggior gloria di Dio, la esatta disciplina, il decoro dell' ordine Ecclesiastico, e la santificazione delle Anime.

Avendo dunque col divin favore già terminata la S. Visita, ed essendoci accorti de' mezzi, che possono essere più acconci al buon regolamento della nostra Diocesi, siamo ormai nelle circostanze di poter devenire alla convocazion del Sinodo tanto da Noi bramata, avendone già ottenuto il Real permesso dal Nostro Religiosissimo Sovrano (che Dio sempre feliciti).

Indirizziamo pertanto a Voi questa nostra notificazione, o dilettissimi Figli, e Fratelli in Gesù Cristo, affinchè ricordandovi di ciocchè lo Spirito S. ci avverte, che se il Signore non edifica la Città, vane sono le fatiche di quei, che vogliono edificarla,

e se Esso non veglia a custodirla, è inutile ogni diligenza di quei, che la custodiscono; vi rivolgiate con tutto l'intimo del vostro cuore a pregare Iddio Dator di ogni bene, che si degni spargere una special benedizione sopra il Sinodo, che dee tenersi, e che è indirizzato alla custodia della Casa del Signore, ed alla perfezione dell'edifizio spirituale della sua Chiesa. Ci raccomandiamo perciò alle vostre fervorose orazioni, affinchè il Signore dia a Noi, ed a tutti quelli, che nel Sinodo interverranno, i lumi necessarj per eseguire santamente quest'opera diretta alla maggior sua gloria. A tale oggetto dal dì, che vi perverrà questa notificazione fino al dì, in cui verrà celebrato il Sinodo, recitarete in ogni giorno tutti congregati nel Coro il *Veni Creator Spiritus*, e le Litanie di tutti i Santi.

Per celebrare il suddetto Sinodo si è fissato il dì cinque Giugno del corrente anno. Quindi vogliamo, che per il dì tre di detto mese si trovino in questa Città le Dignità, e i Canonici di questa Cattedrale, gli Arcipreti, gli Economi Curati, i Cantori come Deputati delli rispettivi Cleri, ed i Vicarj Foranei della nostra Diocesi.

E perchè possiamo ricevere i lumi conducenti a provvedere quel, che conviene sulle circostanze particolari, in cui si trova ciascuna Chiesa della Diocesi, vogliamo, che dopo effervi pervenuta la presente notificazione, vi raduniate nelle rispettive Chiese coll'intervento di coloro, che han dritto di presiedere alle vostre Conclusioni, e facciate fra voi quelle Sessioni, che per risparmiarvi l'incomodo di portarvi quì più volte, non abbiamo stimato ordinare, che si facessero alla nostra presenza, e in dette Sessioni esaminarete quali bisogni particolari vi siano, ch'esiggano provvidenza speciale del Sinodo, e quindici giorni dopo, che vi sarà pervenuta la presente, i Capi delle rispettive Chiese ci manderanno una relazione, in cui ci parteciparanno, se nelle medesime siavi qualche cosa, che ha bisogno di speciale stabilimento per nostra norma, e governo.

E sicuri della esatta osservanza di quel, che abbiam' ordinato, preghiamo il Signore a spargere su le vostre persone, e sopra tutte le Anime alla nostra cura commesse l'abbondanza delle sue celesti benedizioni. Dato in Tricarico dal nostro Palazzo Vescovile il dì 21. Aprile 1800.

Fortunato Vescovo di Tricarico.

Al-

ALLOCUTIO

Per Ill., & ad. Reverendi U. J. D. D. Potiti Antonii della Ratta Archidiaconi, & Primae Dignitatis Ecclesiae Cathedralis Tricaricensis ad Clerum in Synodo congregatum.

QUod Pastoralis Officii munus, Illustrissime, & Reverendissime Pater, Venerabiles Fratres, quo peculiari Dei providentia ad majus divinae gloriae incrementum, & spirituale hujus Tricaricensis Ecclesiae bonum praegravatum agnoscimus Vigilantissimum Pastorem Nostrum D. Fortunatum Pinto, jure optimo postulat, ut nempe Dioecesanam Synodum quam plurimis ab hinc annis non coactam celebraret, non aliis opportunioribus poterat praestari temporibus, quam hisce, quibus propriis oculis conspeximus, propriisque manibus contrectavimus, in quas perturbationes, in quot aerumnas, & incommoda rerum fere omnium praelaudati Praesulis Pastoralis sollicitudo esset vocata, & quot dissentionum, exitiorum, bellorumque fluctibus universa esset conflictata Christiana Religio; in hujusmodi enim malorum tempestatibus animo repetens Praesul eximius ea, quae ad Religionem sulciendam, & Christianorum mores ad Evangelii normam componendos rite, sancteque olim sancita fuerant facile prolapsa, quaeque ad disciplinam Ecclesiasticam potissimum spectant, a primaeva institutione, ac splendore plurimum defeciisse, ad Dioecesanam Synodum cogendam suum adjecit animum, spem prope certam habens, futurum, ut cum hic in nomine Domini essemus congregati, ipse, sicut promisit, Dominus in medio nostrum affuturus, & bonitate, ac misericordia sua ovium ejus curae concreditarum indigentiis, illarumque spirituali bono prospecturus esset.

Nec aliis auspicatioribus quoque poterat haec Synodus praestari diebus, quam hisce Pentecostes, quibus, facto repente de coelo sonitu, in centum viginti Homines congregatos venit Spiritus Sanctus, qui coelestibus flammis in illos immissis erudivit imperitos, linguas eorum fecit disertas, magnisque imbuit supernis notionibus, ut novis uterentur vocibus, in promulgationem Evangelii pacis. Hunc hodie speramus charismatum donis in cor

noſtrum deſcendere, ut coeleſtibus ipſius incendiis inflammati, ad ſublimia aſpiremus, & in concilio vanitatis non ſedeamus cum impiis, ſed in concilio juſtorum audientes voces laudis enarremus omnia mirabilia ejus. Faxit ille, ut quaecunque in hac Synodo peragenda ſunt exactiſſime peragantur, ut quod felix ſortitur exordium, fructuoſum habeat progreſſum, fructuoſum & finem, & quae reformatione indigent, reformentur, ita ut dicere liceat, a Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.

Num reformatione non indigent hiſce praeſertim temporibus plurimi hujus Saeculi Filii, de quibus dici poteſt cum Apoſtolo, inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis, quam Dei? Num reformatione non indigent quamplures Eccleſiaſtici ordinis homines, de quibus dici poteſt cum Bernardo, quid ſibi vult, quod Clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? Nam in congeſtione temporalium ſe habere, ut Laici; in apparatu Nobili, ut Milites; neque evangelizant, ut Clerici, cujus ergo ordinis ſunt? cum utriuſque eſſe cupiunt, Eccleſiaſtici videlicet, & ſaeculares, utrumque deſerunt, utrumque confundunt.

Num reformatione non indigent? . . . . . dimittite me, Venerabiles Fratres, ut plangam paullulum dolorem meum, illos intuens, qui ad tremendum Miſſae Sacrificium accedunt imparati, & Evangeliorum librum, ea percurrunt metodo, qua in novarum rerum lectura utuntur Filii ſaeculi hujus: qui divinas laudes abſque devotione percurrunt, qui voluptatum magis amatores, quam Dei, habent quidem ſpeciem pietatis, ſed virtutem ejus abnegant, qui invidia, contentione, odio pleni, officia charitatis proximis denegant ſuis; vel avaritia excoecati, vel vanitate inſanientes, quae ſunt ſua, quaerunt, non quae Iesu Chriſti.

Si eo eſſent homines ingenio, ut in virtutem potius, quam in vitia proclives intra fines illos ſeſe continerent, quos tum divinae, tum humanae leges ipſis praeſcripſere, nullis opus eſſet aggeribus, nec tam grandis praeſtantiſſimum Paſtorem Noſtrum urgeret ſollicitudo cogendae Synodi. Quis autem ignorat, quo moritura ruat hominum licentia? eſt nimirum eorum malitia, & improbitas inſtar furentis amnis, qui ejus nimis anguſti alvei, quo

eſt

eſt intercluſus impatiens, novos ſibi aditus recludere tentat, & ni crebris objectis aggeribus vis ejus repellatur, licenter errat, & armentis, atque agris ſtragem maximam affert. O quot pravae conſuetudines in hominibus emerſere! quot corruptelarum genera, quot ſacrorum, & piorum inſtitutorum contemptus? quot morum deploranda maxime, & averſanda monſtra! quae ſi latius emanent, nec quibus opus eſt remediis, vel opprimantur, vel procul eliminentur, eſt valde verendum ne ſenſim veſtigium fere omne Religionis e medio tollant.

Ea autem eſt utilitas Synodalium Conventuum, ut ea jura conſtituantur in Domino, quae temporum ratio poſtulat; ut vel novis legibus morum perditorum licentiae via omnis intercludatur: vel ſi quae emerſerunt pravae conſuetudines, quantocius extinguantur. Ideo omnes, quorum intereſt, in Conſilium advocantur, & de morum diſciplina reſtituenda, & de confirmanda, atque in dies augenda Religione conſulitur, ſinguliſque, aut quae ſibi utiliora videntur, aut quae validiori indigent remedio proferentibus, fit, ut variis ſententiis auditis ea conſtituantur, quibus cohibeatur improbitas, & pietas, Religio, cultus in Deum reſtituatur.

Praecipue vero Sacerdotum inſtituenda eſt ratio vivendi, hi enim moribus ſuis reliquorum moribus moderantur. Vult igitur haec noſtra Synodus, ut Eccleſiaſtici omnes, humilitatem, manſuetudinem, patientiam, caeteraque Clericalis pietatis officia colentes, quaecunque ſunt vera, pudica, & ſancta, haec agant, haec recogitent: qui Sanctorum veſtigia Patrum non modo reſpiciant, ſed omnino imitari contendant: qui in Sacrae Miſſae Sacrificio peragendo altiſſima meditatione defixi, quae in illo pie, riteque celebrando praeſcripta ſunt, ea ſedula diligentia exequantur, qui quod temporis a divinis officiis ſupererit, non in otio, deſidia, curioſitatibus conterant, ſed cum ipſi in ſortem Domini vocati ſint, in lege ejus meditentur die, ac nocte: qui Sacrarum Literarum ſtudia amplectantur, ad Sacras lectiones, & moralium rerum Conventus alacri animo conveniant, iiſque ita ſtudeant adeſſe, ut ad uberiorem Sacri eloquii fructum in dies proficientes, videant omnes opera eorum bona, & glorificent Patrem Noſtrum, qui in Coelis eſt.

Cum igitur ad Populorum converſionem, & ad Eccleſiaſticorum profectum plurimum conferat Synodi convocatio, in qua Spi-

ritus

ritus Sancti afflante virtute plurium animorum conspiratio eo tendere nititur, ut virtutes promoveantur, extirpentur vitia, & corruptelae radicitus evellantur; eja, Venerabiles Fratres, Genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta, Populus acquisitionis, eja in hac Dioecesana Synodo id curemus omnes, ut eos spiritus, animosque capiamus, quibus gravissimae, & Sanctissimae leges, quas modo laturus est inclytus hujus Ecclesiae Pastor, vigeant, & ita derelinquat impius viam suam, & revertatur ad Dominum, & qui justus est justificetur adhuc, & sanctificetur adhuc.

Tu ergo Divine Spiritus, veni in cor nostrum, & doce facere voluntatem tuam, quae est Sanctificatio nostra. Tuque Divina Parens fidum salutis nostrae refugium, ac praesidium: Vosque Potite, & Pancrati Martyres quos majores nostri hujus Civitatis Patronos adoptavere; Vos denique Coelites omnes, in quorum fide, & Clientela nos esse gloriamur. Nobis Spiritum Sanctum propitium reddite precibus vestris, ut ejus afflatu, quae magis ipsi grata, Ecclesiaeque huic utilia futura sunt, in hac Synodo constituantur, ac vestrae tandem felicitatis, post hujus vitae aerumnas participes efficiamur, unaque omnes laudemus, & glorificemus Deum, & Patrem Domini Nostri Jesu Christi, qui est benedictus in soecula. Amen.

DE

Digitized by Google

DE SYNODO DIOECESIS TRICARICENSIS INCHOANDA.

FORTUNATUS PINTO

Patritius Salernitanus, Dei, & Apoſtolicae Sedis Gratia Epiſcopus Civitatis, & Dioeceſis Tricaricen. S. R. M. a latere Conſil., & Baro Terrarum Montis Murri, & Armenti & Feudi Andriachii.

AD majorem gloriam, laudem, atque honorem Sanctiſſimae, & Individuae Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ejus divinam opem ſuppliciter exorantes per interceſſionem Beatiſſimae, ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariae, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Beati Potiti praecipui Dioeceſis Patroni, Sancti Pancratii Civitatis Tricaricenſis Protectoris, & omnium Sanctorum hanc primam noſtram Synodum Dioeceſanam jam convocatam preſenti die quinta Menſis Junii currentis anni 1800. ad diſciplinam Eccleſiaſticam fovendam, atque ad animarum ſalutem aperimus, eamque inchoatam declaramus.

De praejudicio non inferendo in Synodali Actione, & ne a Synodo diſcedatur, niſi ea abſoluta.

Ad Synodum convocati in propriis maneant Sedibus. Sin autem contingerit, aliquem in hac Synodo ſedere, aut quid aliud peragere, quod conſonum non ſit propriae conditioni, gradui, vel Dignitati, declaramus, nemini ex hoc praejudicium illatum, aut jus novum acquiſitum intelligi, ſed omnia in eo ſtatu, in quo ante Synodalem Actionem erant, manere. Praeterea ſub poenis arbitrio noſtro infligendis vetamus, ne quis e Synodo, niſi ea abſoluta, diſcedere audeat, ſine noſtra ſpeciali licentia.

Ut recto procedant ordine, quae in Synodo ſunt gerenda, ſequentes Synodi ejuſdem Officiales, ac Miniſtros eligimus, nempe.

Promotorem Synodi.

Per Ill., & ad. Rev. U. J. D. D. Potitum Antonium della Ratta hujus noſtrae Cathedralis Eccleſiae Archidiaconum, & Primam Dignitatem poſt Pontificalem.

Secretarium Synodi.

Per Ill., & adm. Rev. D. Nicolaum Marone ejuſdem Cathedralis Eccleſiae Canonicum Theologum.

Judices quaerelarum.

Per Ill., ac Reverendiss. U. J. D., & S. Th. Profeſſorem D. Vincentium d'Emilio noſtrum Vicarium Generalem.

Per Ill., & adm. Rev. D. Vincentium de Canio hujus Cathedralis Eccleſiae Cantorem, Secundam Dignitatem.

Procuratorem Cleri.

Per Ill., & adm. Rev. U. J. D. D. Franciſcum Antonium Montefano hujus Cathedralis Eccleſiae Canonicum Praebendatum.

Coeremoniarum Magiſtros.

Reverendos D. Nicolaum Ciglieſe, & D. Paſchalem Riccardi.

Hoſpitiorum Praefectos.

Reverendos D. Vincentium Foglia, & D. Cajetanum de Canio.

Notarium Synodi.

Acolythum Matthiam Lorigi Curiae Epiſcopalis Cancellarium; & Notarii ejusdem adjutorem Acolythum Joannem Baptiſtam Trabace.

DE ELECTIONE EXAMINATORUM SYNODALIUM.

QUoniam inter caeteras Sacroſancti Tridentini Concilii ſaluberrimas Sanctiones adeſt illa, qua ſtatuitur (1) eligendos eſſe Examinatores, qui a Synodo Dioeceſana probentur pro collatione Eccleſiarum Parochialium, idcirco proponuntur vobis dilectiſſimi in Domino Fratres, uti hujuſmodi munere fungantur, uſque ad alteram Synodum idonei Viri, quorum nomina hic recenſentur.

Per

---

(1) Trid. Sess. 24. de Refor. Cap. XVIII.

Digitized by Google

Per Ill., ac Reverendiss. U. J. D., & S. Th. Prof. D. Vincentius d'Emilio noſter Vicarius Generalis.

Per Ill., & adm. Rev. D. Potitus Antonius della Ratta U. J. D. & hujus Eccleſiae Cathedralis Archidiaconus.

Per Ill., & adm. Rev. D. Vincentius de Canio ejuſdem Cathedralis Eccleſiae Cantor.

Per Ill., & adm. Rev. D. Joſeph Theſaurarius Santoro Tertia Dignitas Cathedralis Eccleſiae.

Per Ill., & adm. Rev. D. Donatus Caputo Canonicus Decanus Praebend. ejuſdem Cathedralis Eccleſiae.

Per Ill., & adm. Rev. D. Antonius Tolve U. J. & S. Th. D. Can. Poenit. ejuſdem Cathedralis Eccleſiae.

Per Ill., & adm. Rev. D. Franciſcus Ant. Abate Can. Praeb. ejuſdem Cathedralis Eccleſiae.

Per Ill., & adm. Rev. D. Dominicus Antonius Monteſano Canonicus Praebend. & actualis Parochus Generalis hujus Cathedralis Eccleſiae.

Per Ill., & adm. Rev. D. Joannes Baptiſta Gagliardi Can. Praeb. dictae Cathedralis Eccleſiae.

Per Ill., & adm. Rev. D. Franciſcus Antonius Monteſano U. J. D. & Can. Praebend. ejuſdem Cathedralis Eccleſiae.

Per Ill., & adm. Rev. D. Nicolaus Marone Can. Theologus ejuſdem Cathedralis Eccleſiae.

Adm. Rev. D. Jacobus della Ratta Can. Supranumerarius ejuſdem Cathedralis Eccleſiae.

Adm. Rev. D. Franciſcus Antonius Majorino Can. Supranumerarius ejuſdem Cathedralis Eccleſiae.

EX CLERO DIOECESANO.

ADm. Rev. D. Marcus Antonius Valentino Archip. Civitatis Sancti Mauri.

Adm. Rev. D. Michael Archangelus Saſſone Archip. Armenti.

Adm. Rev. D. Paſcalis Lionetti Archip. Terrae Montiſmurri

Adm. Rev. D. Petrus Bonelli U. J. D. & Archip. Terrae Graſſani.

Adm. Rev. D. Paſchalis Rugieri Archip. Terrae Corleti.

Adm. Rev. D. Joſeph Nicolaus Spagna Archip. Terrae Accepturae.

Adm. Rev. D. Nicolaus Maria Rigirone Archip. Terrae Craci.
Adm. Rev. D. Petrus Aloyſius de Luca Archip. Terrae Gallichii.
Adm. Rev. D. Joſeph Nicolaus Pillone Archip. Terrae Ciriliani.
Adm. Rev. D. Thomas Troyli Cantor, & Œconomus Curatus Civitatis Montis Albani.
Adm. Rev. D. Franciſcus Rivelli Vic. Foraneus, & Cantor Terrae Salandrae.
Adm. Rev. D. Maurus Antonius Acquaviva U. J. D., & Cantor Civitatis Sancti-Mauri.
Adm. Rev. D. Franciſcus lo Rubio Cantor Terrae Craci.
Adm. Rev. D. Januarius Ciarletta Cantor Terrae Albani.
Adm. Rev. D. Antonius de Fina Cantor, & Vic. Foraneus Terrae Montismurri.
Adm. Rev. D. Joannes Santomaſſimo Cantor Terrae Aliani.
Adm. Rev. D. Joſeph Fajano U. J. D., & Œconomus Curatus, & Vic. Foraneus Terrae Aliani.
Adm. Rev. D. Petrus Vincentius Bajone Vic. Foraneus Terrae Armenti.
Adm. Rev. D. Dominicus Ant. de Chiara Vic. Foraneus Terrae Hoſtiliani.
Rev. D. Nicolaus Chiarito ex Clero Terrae Craci.

EX CLERO REGULARI.

Adm. Rev. P. Salvator Ronchi S. Th. Magiſter Ordinis Carmelitarum.
Adm. Rev. P. Anſelmus Scaleſe S. Th. Mag. Minorum Conventualium S. Franciſci.
Adm. Rev. P. Adeodatus ab Aliano Ex-Provincialis Min. Obſerv. S. F.
Adm. Rev. P. Ludovicus a Montealbano Ex-Provincialis Ordinis Cappucinorum.
Adm. Rev. P. Clemens a Sanctomauro Lector Jubilatus Min. Obſerv. S. Franc.
Adm. Rev. P. Mauritius a Montealbano Lector Jubilatus, & Ex-diffinitor Min. Obſerv. S. Franciſci.
Adm. Rev. P. Samuel a Tricarico ord. Min. Obſerv. S. Fr., & Ordinis Conſcs. Monialium Venerab. Monaſterii S. Clarae hujus Civitatis.

Pla-

Digitized by Google

Placent ne Vobis?

Omnes, nemine diſcrepante, fuerunt a Synodo adprobati per verbum *Placent*, & praeſentes, juxta Sacroſancti Concilii Tridentini Statuta, jusjurandum praeſtiterunt, ſe fideliter officium ſuum executuros ſequenti formula.

Ego N. N. Examinatoris Officium, quod ſuſcipio, ſpondeo, & juro, me fideliter, exacteque executurum, quacunque humana affectione poſthabita, quantum in me erit. Sic me Deus adjuvet, & haec S. Dei Evangelia.

Quoad Examinatores abſentes ſtatutum fuit, ut idem jusjurandum praeſtent prima vice, qua ad idem officium exercendum fuerint vocati.

CAPUT I.

De Fide Catholica, & Fidei profeſſione emittenda.

PRima Paſtorum cura in iis praeſertim verſari debet, quae ad fidem Catholicam integre, inviolateque ſervandam pertinent. Ideo Nos hinc potiſſimum exordiendum eſſe duximus, quin immo hinc omnes una voce exordiantur, ut quae ex eodem Spiritu eſt Fides, eamdem una oris confeſſione profiteamur.

Omnes igitur de Clero, qui in hac Synodo interſunt Secretario profeſſionem Fidei juxta formam Conſtitutionis Pii IV. alta, & intelligibili voce recitante ſingula verba repetant; corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

Ego N. N. Firma fide credo ec. ut in Pontificali Romano habetur.

Hanc eamdem Fidei profeſſionem infra bimeſtre a die poſſeſſionis acquiſitae in manibus noſtris, vel Nobis (2) impeditis Vicarii Noſtri Generalis, proviſi de Beneficiis quibuſcunque curam animarum habentibus: obtinentes autem Dignitates, & Canonicatus in Noſtris Cathedralibus non ſolum in manibus noſtris, vel Vi-

(2) Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 12. de Reformat.

Vicarii noſtri Generalis, ſed etiam intra idem tempus in Capitulo Canonicorum emittere teneantur. Secus ſciant, ſe fructus ſuos non facere, nec ipſis pacificam ſuffragare poſſeſſionem.

Omnes autem hujus Civitatis, & Dioeceſis Chriſti Fideles hortamur, ut optime ediſcant, & firmiter credant, quae S. Mater Eccleſia Catholica credenda proponit, Fideique actus, tum internos, tum externos frequentent, Apoſtolici potiſſimum Symboli devota recitatione; parati probatam Fidem ſanguine (ſi Deus dederit) confirmare. Quocirca Parochos monitos volumus, ſe ad fidem conſervandam, & augendam eſſe vocatos, ideoque pro injuncto iisdem munere illius dogmata explicare debere, atque ignaris praeſertim, quae S. Fidei Myſteria explicite neceſſitate medii, quaeque neceſſitate praecepti ſcire oportet explanare. Confeſſarii quoque omnes, quorum operoſum zelum, & ſuſcepti officii ſtrictam obligationem excitamus, poenitentes ſuſpicionem hujuſmodi ignorantiae praeſeferentes opportune interrogare, vel paterne inſtruere non omittant, ne participes ſint ſacrilegii; etenim ignorantes (3) articulos credendos neceſſitate medii incapaces ſunt Sacramentalis abſolutionis, & cujuslibet Sacramenti cum fructu ſuſcipiendi, niſi prius illos addiſcant, & credant; ignorantes vero credenda neceſſitate praecepti, a Sacramentali abſolutione repellendi ſunt; ſi vitio ſuo neſciant, donec didicerint; eoque caſu abſolvi quandoque poſſunt, quo ſe vincibilis hujus ignorantiae reos agnoſcant, & accuſent; ac intime dolentes tum a Deo veniam precentur, tum Confeſſario ſerio promittant operam ſe impenſe daturos, qua divinae gratiae praeſidio diſcant etiam neceſſaria neceſſitate praecepti:

CA-

(3) Inn. XI. prop. damnata 64. et 65.

CAPUT II.

De Doctrina Christiana.

QUamquam Fides humanae sit salutis initium, & fundamentum, ad futuram tamen quam inquirimus Civitatem, ut pervenire aliquando mereamur sola Fides non sufficit: sed viam nosse, constanterque tenere oportet, nempe praecepta Dei, & Ecclesiae; tum virtutes, quas persequi, tum vitia, quae studiose declinare debemus. Quae quidem omnia cum primis Catholicae Fidei rudimentis, sive Doctrina Christiana contineantur Episcopalis nostri muneris exigit ratio, ut in Singulis hujus nostrae Civitatis, & Dioecesis Ecclesiis illa recte, atque ex ordine explicetur.

Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus Animarum sunt imposita; alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad Populum habeant, alterum, ut pueros, & rudiores quosque Divinae Legis, Fideique rudimentis informent: Quae circa primum onus servanda sunt, sequenti Capite declarabimus; Quod ergo ad secundum modo attinet, volumus, & praecipimus, ut singulis Dominicis, aliisque diebus festis, quibus utrumque praeceptum adnectitur, quotidie vero tempore Quadragesimae, hora pomeridiana, praemisso campanae signo ex Ecclesia, atque Campanulae sono, per viam Parochiae in propriam convocent Parochialem Ecclesiam pueros, puellas, rudesque omnes, ac servata Sexus distinctione per tres horae quadrantes illos suo ordine, & loco dispositos, tanquam infantes modo genitos nutriant doctrinae lacte, ex libello ab Eminentissimo Cardinali Spinellio edito ad usum Civitatis, & Dioecesis Napolitanae, ut unus deinceps, idemque modus in docendo, & discendo Christianam Doctrinam ab omnibus teneatur. Nihil hac uniformitate optabilius, nihil ad praecavendos, qui in multiplicem Cathechismorum varietatem irrepere possent errores, conducibilius, atque opportunius.

Ut autem hoc salutare Doctrinae pabulum ordinatius, & utilius administretur, Clerici omnes etiam in Sacris ordinibus constituti omnino Parochum (4) coadjuvare teneantur, alias ad altiores or-

(4) Ex Const. Bened. XIV. etsi minime 7. Feb. 1742.

ordines non promovebuntur. Dividantur pueri in plures Claſſes, eoſque ſinguli Clerici a Parocho deſignati juxta eorum captum patienter ſimul, & diligenter erudiant.

Omnes vero Presbyteros in Domino hortamur, tanquam noſtri Paſtoralis muneris, & Parochorum Adjutores, atque Chriſti Domini Miniſtros, ut ultro libenterque ad tam divinum, tantoque praemio dignum opus, ſe ſe exhibere non detrectent, ſi enim panem petentibus parvulis frangunt, Doctrinam Chriſtianam una cum Parocho in Eccleſia tradendo; procul dubio magna illis merces non erit defutura, cum ſcriptum ſit (5) *qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut Stellae in perpetuas aeternitates*; tum Adultis Parochus, aliuſve Sacerdos per Epiſcopum deputandus, poſt traditam pueris Chriſtianam Doctrinam, aliquod Cathechiſmi Romani Caput explicare non omittat, ad captum Auditorum.

Si quos pueros Parochi deſides invenerint in adſiſtendo Doctrinae Chriſtianae, Parentes, & alios, quibus illorum cura commiſſa eſt, moneant, hanc praecipuam eſſe ipſorum obligationem, ut ſui Subditi in iiſ, quae pertinent ad ſalutem Animae a primordiis uſus rationis inſtituantur, & Doctrinam Chriſtianam frequentent. Hac lege etiam Patrinos, & Matrinas Baptismatis, & Confirmationis obſtrictos eſſe, vel maxime in Parentum deficientia admoneant.

Ad haec, Parochi, ante, vel poſt Miſſam Feſto die celebratam, ante aram provoluti, clara, & intelligibili voce, actus Fidei, Spei, & Charitatis (6), Populo reſpondente, eliciant, & edoceant: Chriſtianam enim Religionem profitenti maxime neceſſarium eſt, ſaepius actus illos elicere; hoc autem pacto Fideles ſenſim illos memoriae mandabunt, & aſſueſcent, ne dum Feſtis, ſed aliis etiam diebus in hac pia exercitatione verſari.

Haec, quam praeſcripsimus, gregis Nobis commiſſi inſtituendi ratio, eorum ignorantiae occurrit, qui Urbes, vel Oppida incolunt; cum autem compertum ſit, pueros non modo quamplures, ſed & Adultos extra Civitates, & Oppida commorantes, cam-

(5) Daniel. Cap. 12. v. 3.
(6) Literae Encyclicae Bened. XIV. 26. Junii 1754. et Const. ejusdem, et si minime §. ult.

campestribus locis addictos, qui vix praecepto audiendi Missam diebus festis satisfaciunt, ea ignorantia laborare, ut potiora etiam nesciant Fidei Mysteria: hinc aeternae eorum saluti Nos consulentes, hoc Synodali Decreto districte mandamus, ut omnibus diebus Dominicis, & aliis festis de praecepto in omnibus Ecclesiis & publicis Cappellis, sive Urbanis, sive ruralibus, Sacerdos quisque primam Missam celebrans, post lectum Evangelium, sive per se, sive per alium, alta, & intelligibili voce, & Populo Universo respondente, sequentia saltem principaliora Fidei mysteria, paulatim eos edoceant, videlicet, Signum S. Crucis; Mysteria SS. Unitatis, & Trinitatis Dei, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi; Symbolum Apostolorum; Orationem Dominicalem; Salutationem Angelicam; Praecepta Decalogi; Praecepta Ecclesiae, Septem Sacramenta, & actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis.

Districte tandem Parochis praecipimus, ne quis eorum ad Eucharisticam Mensam & Confirmationem adultum quemque ad Sacri Conjugii foedus matrimonio jungedos, viros, & mulieres accedere permittant, nisi Doctrinam Christianam calleant.

Ad exactam eorum executionem quae circa doctrinam Christianam Fidelibus explicandam praescribere censuimus, Parochi omnes hujus Civitatis, & Dioecesis praecipuos labores suos, & studia referre pro viribus satagant, hoc enim pacto, sperare fas est, Fide, & opere Dominicum Gregem ita in dies profecturum, ut vitiorum malis in ipso mortificatis ortodoxam, & Apostolicam Fidem, quam sua lingua loquitur, etiam moribus vita fateatur. Utque illos magis magisque excitemus ad tam pium, tamque salutare opus impensiori cura exercendum, Pastoralis Auctoritatis nostrae stimulis, Regiam quoque adjungimus, qua Ferdinandus Rex noster executionem praecipere dignatus est eorum quae sunt per Nos constituta in S. Visitatione ad Populorum institutionem in Christianis Officiis, Diplomate, quod in hujus Synodi Appendice legitur *num.* 1.

Quoniam vero ad Christiani hominis officia pertinet Christianae Religionis praecipua Mysteria recolere, & Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque cum Christo in Coelo regnantium memorare triumphos, praecipimus, ut Parochi, praecedente Dominica, Festivitates in hebdomoda occurrentes Populo denuntiens, illum praemonentes, quomodo se disponere debeat ad illas sanctificandas. Festorum

enim Sanctificatio in duobus consistit, nempe in cessatione ab opere servili, & in officiis Christianae Charitatis erga Deum, & proximum. Quod attinet ad cessationem ab opere servili, Parochi moneant sibi subditos, eos a media nocte festum praecedente ad mediam usque noctem sequentem non posse, cujuscunque mechanicae, & illiberalis artis opera exercere, veluti agros, vineas, hortos colere, foenum, segetes, frumentum secare, colligere, metere, purgare, molere, ruralia, fabrilia, servilia omnia exercere. Quod si necessitas urgeat tam publica, quam privata, aut pietas suadeat seu publica exigat utilitas, praesertim tempore messis, vindemiarum, foeni, aliorumque fructuum recollectionis, seu periculum immineat eorum deperditionis, declarationem a Nobis, vel a Nostro Vicario Generali expetere teneantur.

Quod autem attinet ad officia Christianae charitatis erga Deum, & proximum pro recta festorum sanctificatione exhibenda illud praecipuum est, ut Fideles omnes Sacrosanctae Missae Sacrificio attente, & devote interfint. Missam in Parochiali Ecclesia audire maxime proficuum est, ut ibidem (7) Parochiani Concioni interfint, quam proprius Pastor inter Missarum Solemnia est habiturus; ideirco omnes in Domino monemus, ut ad Missam audiendam suas adeant Parochias. Cum autem compertum sit, quod enunciatis diebus festis antequam celebretur Missa in Parochiali, celebrari soleat prima Missa in Ecclesiis Regularium, ex quo fit, ut rudes praesertim homines, qui campestribus locis sunt addicti, eo conveniant, Missam audituri, qua finita, statim per campestria loca iter arripiunt, nec ulla afficiuntur cura Christianam Doctrinam addiscendi; ideirco volentes Nos eternae eorum saluti consulere, Regulares ipsos in Domino obsecramus, ut in prima eorum Missa, ne graventur post lectum Evangelium, alta, & intelligibili voce, & Populo respondente, saltem sequentia principaliora Fidei Mysteria ipsum edocere, videlicet, Signum S. Crucis, Mysteria Sanctissimae Unitatis, & Trinitatis Dei, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi, Symbolum Apostolorum, orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Praecepta Decalogi, Praecepta

(7) Conc. Trid. Sess. 22. de Sacrif. Missae, et de observ., et vit. et Sess. 24. de Reform. Cap. V.

cepta Ecclesiae; Septem Sacramenta, & actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis.

Moneant Parochi patres familias, & Dominos, ut filios, ac famulos in pascendis pecoribus, vel vineis, aut aliis custodiendis, aliisque rusticis laboribus subeundis occupatos, festis saltem diebus Missae jubeant interesse, ne Deo Supremo omnium Patri, ac Domino rationem pro animabus illorum sint reddituri.

Praeter Missam autem, quae sine gravissimi peccati culpa praetermitti non potest, Rectores animarum, Concionatores, Confessarii doceant Subditos, Populum, Poenitentes, quod idcirco a diebus festis (8) ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis, hymnis, & Canticis Spiritualibus insistere, orationi vacare, memorias Sanctorum commemorare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus; eosque praemoneant, quod si hujusmodi propemodum modis diem festum non sanctificent, sed operibus servilibus dent operam, praesertim, si epulis, ebrietatibus, ludis, spectaculis, aliisque id genus licentiis tunc temporis liberius vacent, divinam Clementiam ulterius ad iracundiam provocabunt, etenim profanationes Festorum detestatur Deus, & protestatur, se de tam gravi crimine ulturum, illis verbis. *Sabbata mea* (9) *violaverunt vehementer: dixi ego, ut effunderem furorem meum super eos*: & consumerem eos.

CAPUT III.

De verbi Dei praedicatione, & Sanctarum Scripturarum explicatione.

PRaecipue Nobis Verbi Dei praedicandi onus incumbit, non nisi (10) ex gravi causa praetermittenda. Id porro Nos, divina favente Gratia, cum adversa valetudine, seu aliqua gravissima muneris occupatione non fuimus praepediti, adimplere satagi-

(8) Nicolaus A. ad Consulta Bulgar. Cap. II.
(9) Ezech. 20. e 11.
(10) Conc. Trid. Sess. V. Cap. II. Sess. 24. Cap. IV.

mus, & in posterum toto ex animo prosequi curabimus. Sed cum nec ubique, nec semper per se ipsos Episcopi munus istud valeant subire, tanquam secundi Ordinis Pastores Parochi omnes ex officio, & strictissima obligatione, unusquisque in sua Paroecia, sancte, ac digne hoc ministerium implere tenentur. Quare his omnibus districte praecipimus, & mandamus, ut gravissimam hanc divini, & Ecclesiastici praecepti Sanctionem ex corde diligentissime observent, & singulis (11) saltem Dominicis, festisque diebus mane, post lectum in Parochiali Missa Evangelium, sermonem brevem habeant, & facilem, Auditorumque captui aptum; vitia, quae declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, denuntiantes. Eos tamen admonitos volumus, se proprio muneri non satisfacturos si qualemcumque sermonem instituant, quidquid tunc in os venerit, enunciando: novo igitur praemisso studio, feriaque habita meditatione, Textum ipsum Evangelii vulgari, & facili sermone primum, deinde ex eo mysterium unum, vel plura declarent, Sanctorum Patrum doctrinis, Sacrae Scripturae, vel Ecclesiasticae historiae exemplis illa confirmantes. Curent praeterea eodem tempore aliquid exponere ex iis, quae in Missa leguntur, in primis vero, aliquid hujus Sanctissimi Sacrificii declarare juxta Trid. Conc. praescriptum. Insuper calamitatem temporum nostrorum deplorantes, quibus in Populis maximo cum animi moerore impietatis, atque Anarchiae semina conspersa vidimus, praecipimus, ut vel in hujusmodi sermonibus, vel dum hora pomeridiana, uti superiori capite praescripsimus, post traditam pueris Doctrinam Christianam, Christiani hominis officia adultis juxta Catechismi Romani doctrinam exponent; saepe veritatem Christianae Religionis probare non praetermittant, ad captum Auditorum, atque obligationem, quae cuique inest, omnibus commemorare, obtemperandi proprio Principi, cum scriptum sit, (12) *per me Reges regnant, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (13).

Nullus Presbyter, exceptis Parochis in sua Parochia, praedicare praesumat, qui a Nobis non sit ante approbatus, praevio exa-

(11) Conc. Trid. loc. cit.
(12) Prov. Cap. VIII. XV.
(13) Paulus ad Romanos Cap. XIII.

examine super doctrina (14) etiam quoad Regulares in Eccleſiis, quae ſuorum ordinum non ſunt, Concionaturos, ſi ita arbitrio Noſtro viſum fuerit. Quatenus vero Regulares in Eccleſiis ſuorum ordinum ſint Concionaturi, id eis non liceat niſi (15) prius a Nobis, benedictione petita, & Nobis non contradicentibus. Qui jus nominandi habent, pro Adventu, vel Quadrageſima, videant ne humano affectu minus idoneos praeſentent, ſed pium, doctum, aptumque Verbi Dei Proeconem, qui ſua non quaerat, ſed Jesu Chriſti. Sacros autem Oratores meminiſſe volumus, ſe ſapientibus & inſipientibus eſſe debitores; ideoque non in perſuaſibilibus humanae ſapientiae verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis Verbum Dei annuntient, pro laboribus ſuis recipere laudes humanas nolint, gloriam ſuam non in ore hominum ponant, ſed unice Dei gloriam, & animarum ſalutem exoptantes, verbo pariter, & exemplo non ſemetipſos, ſed Chriſtum, & hunc Crucifixum praedicare contendant; antequam ergo praedicationis munus aggrediantur ad ſui commonitionem perlegant, ut adamuſſim obſervent ea, quae de praedicandi officio ſancita ſunt in Sacro Concilio Tridentino (16).

Peracto praedicationis curſu, ſe Nobis ſiſtant Praedicatores, quaſi rationem pro animabus, quibus Verbum Dei annuntiaverint, reddituri, ut nos certiores faciant de fructu praedicationis, & de ſcandalis, vel abuſibus, quos extra confeſſionem audiverint, vel notaverint, ut fortioribus remediis eá, quae correctione indigent, vel emendatione coerceamus. Vicarii vero noſtri, & Parochi Nobis referre non omittant de Concionatorum converſatione, modeſtia, zelo, pietate, & ſcientia in eorum munere implendo, ut dijudicemus quinam irreprehenſibiles, & utiles ſint Verbi Dei miniſtri, quos in poſterum ad alia ſuggeſta mittamus, & quinam reprehenſibiles, & inutiles, quos caveamus.

Praedictis Concionibus intereſſe non omittant Sacerdotes omnes, ut ab ipſis reliqui de Populo ſumant quid imitentur, praeſertim Canonici, qui prae caeteris bonorum operum exemplum Fidelibus praebere

(14) Conſtit. Clem. XII. 21. Junii 1621. incip. Superna.
(15) Ibidem.
(16) Seſſ. V. Cap. II. de Reformat.

bere debent, Clerici quoque nunquam desint, alias ad altiores ordines non promovebuntur. Quod vero attinet ad lectionem Sacrae Scripturae juxta Sanctiones S. C. Trid. (17) in Cathedrali habendam, mandamus, ut Canon. Theol. eam habere teneatur diebus, & horis, a Nobis pro majori Cleri, & Populi commoditate praefigendis. In lectionibus habendis eam Sacrae Scripturae partem explicabit, quam Nos praescribemus, & curabit, ut clare, dilucideque juxta unanimem sensum Sanctorum Patrum, & intellectum instruat, & directionem morum, fructumque ex divina Scriptura hauriendum proponat, ut quilibet possit cum Davide concinere *lucerna pedibus meis verbum tuum*. Hujusmodi lectionibus omnino intereſſe tenentur Canonici, aeque ac caeteri Sacerdotes. Parochi item, nisi legitime praepediti fuerint, & Confessarii etiam regulares, quatenus hujusmodi lectiones in eorum Monasteriis non habeantur; Clerici quoque omnes, & Novitii, alias sciant, se ad ordines non ascensuros. Si non interfuerint Sacerdotes, qui pro audiendis confessionibus adhuc adprobati non sunt, ad munus audiendi confessiones Sacramentales non admittentur.

Si praedicta omnia, quae constituta sunt circa Christianam Doctrinam, Verbi Dei praedicationem, & Sanctarum Scripturarum explicationem culpabiliter omiserint, & neglexerint quatuor vicibus intra semestre illi, qui ea praestare tenentur, scilicet quisque juxta munus sibi commissum, plectentur poenis a jure statutis, ferendis juris ordine servato.

CAPUT IV.

De Sacramentis.

SAcramentorum Ministros admonemus, se sancta tractare; propterea ita vivant, ut omni temporis momento sua possint religiose exercere ministeria, cavendo praesertim, ne peccati mortalis conscii Sacramenta administrent, sed Confessionem praemittant, & in casu necessitatis perfecte conterantur. Suscipientes item ad-

(17) Sess. V. Cap. V.

admonemus, ne Sacramenta ſuſcipere praeſumant niſi recte diſpoſiti, ne quod datum eſt in donum, in judicium tranſeat animarum.

Praecipimus Parochis, aliiſque Animarum curam gerentibus, ut in Sacramentis adminiſtrandis ritus, & caeremonias, quas Sancta praeſcripſit Eccleſia, & quae in Rituali Romano praeſcribuntur, omni animi attentione, & devotione adhibeant, quibus nihil addere, vel detrahere praeſumant, multoque minus immutare, vel alterare materiam, vel formam, quae ad ipſam ſubſtantiam Sacramenti pertinet. Formam Sacramentorum diſtincte, & devote pronuntient, illudque ſemper ſibi agere proponant, quod Chriſtus Dominus inſtituit, & intendit S. Mater Eccleſia: illud etiam ſedulo advertant, quod (18) non licet in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori; Vaſculis, & Supellectilibus decentibus, & mundiſſimis ſemper utantur, veſte talari, ſuperpelliceo, & Stola coloris convenientis ſint induti, niſi ex improviſo vocati in Sacramentis Baptiſmi, vel Poenitentiae pro infirmis, aut extremae Unctionis, quando periculum eſt in mora (19). Extra caſum infirmitatis, & periculi, non alibi, quam in Eccleſiis Sacramenta conferant; & ſi quae alia neceſſitas urgeat, vel cauſa rationabilis, extra Eccleſiam adminiſtratio non fiat, niſi cum noſtra, vel Vicarii Generalis licentia.

Ut Sacramentorum cultus, ac devotio in animis ſuſcipientium excitetur (20), Parochi ſaepe inter Miſſarum ſolemnia, & dum Chriſtianam edocent doctrinam, vel dum eadem Sacramenta adminiſtrant, illorum inſtitutionem, dignitatem, uſum, ſalutares fructus, ac myſticas caeremoniarum ſignificationes vulgari, ac plano ſermone pro audientium captu explanare non omittant, ac requiſita ad illorum dignam ſuſceptionem edoceant, ut omnes debita veneratione, humili reverentia, & corde contrito accedant ad Sacramenta recipienda (21). In animum item ſuſcipientium inſtillent, ut habitus etiam exterior eorum Chriſtianam modeſtiam, & humi-

(18) Prop. dam. ab Inn. XI. n. 3.
(19) Rituale Rom.
(20) Conc. Trid. Seſſ. 24. Cap. 7. de Refor.
(21) Ep. Encicl. Clem. XI. 16. Martii 1703.

militatem oſtendat (22); & viros deferentes arma, ac mulieres fucatas, vel ſcandaloſe incedentes ea, qua decet charitate, moneant, ut ſe a Sacramentis recipiendis abſtineant.

Ad omnem Simoniae, & cujuslibet turpis lucri ſuſpicionem effugiendam, nihil omnino petatur, exigatur, nec paciſcatur ſub quovis titulo, aut praetextu vel directe, vel indirecte pro Sacramentorum adminiſtratione, ſed ſi aliquid ſponte, ac libere titulo eleemoſynae de laudabili conſuetudine offeratur, id ſolum, peracto Sacramento recipi concedimus, ita tamen, ut Simoniae, & Avaritiae ſuſpicio non adſit.

Ad eamdem Simoniae labis ſuſpicionem removendam decimas Animarum Curatoribus contribui ſolitas, & praeciſe tempore, quo Chriſti Fideles annuo Confeſſionis praecepto ſatisfacere tenentur, recipi prohibemus; Sed ſi ſolvendae ſunt, alio opportuniori tempore, quo hujuſmodi ſuſpicio ſuboriri nequeat, exigantur. Quo ad earum vero exactionem ſerventur Diplomata S. R. Majeſtatis.

CAPUT V.

De Baptiſmo.

SAcramenti Baptiſmi neceſſitatem ſatis Salvator ipſe declaravit, cum dixit (23) *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Hinc colligere licet, quanta cura adhibenda ſit, ut quamprimum ad Baptiſmi lavacrum infantes deferantur; ideo monemus Parentes, cujuſcunque gradus, & conditionis ſint, ne ultra duos, vel tres dies infantium recens natorum Baptiſmum differant; quinimo citius, ſi adſit probabile mortis periculum, eos deferant ad Baptiſmum, quod ſi ultra praedictum tempus natos Filios in tenebris, & umbra mortis jacere permittant, Parochi graviter invehantur in eos, Nobiſque referant negligentes, ut opportunis remediis eos urgere poſſimus (24). Quod ſi mors

(22) Rit. Rom. de Euch.
(23) Joan. III. v. 5.
(24) Clem. unic. de Bapt.

ſi mors infantis certo timetur, omnis homo, quicumque ſit, ſive vir, ſive mulier, vel Clericus, vel Laicus poteſt conferre Baptiſmum domi, ſeu in alio quocumque loco, ordine tamen ſervato illis in anguſtiis, ut vir mulierem, Laicum Clericus praecedat, niſi forte perſona minus digna eſſet promptior in periculo, vel melius calleret formam Baptiſmi. Extraneis deficientibus, Parentes ne morentur baptizare; in hoc enim caſu ſpiritualem cognationem, quae matrimonii uſum impediat, ſciant, ſe non contrahere.

Parochi ſaepe in tradenda Doctrina Chriſtiana edoceant Populum, praeſertim obſtetrices, modum, & rationem baptizandi, urgente neceſſitate, eiſque ſignificent, qualis ſit materia, quae forma, & qualis haberi debeat intentio.

Diſtricte praecipimus Parochis, ut Baptizandorum Catecheſim extra omnino, non intra Eccleſiam faciant, ad oſtendendum, Baptiſmum eſſe januam, per quam in Chriſti Eccleſiam intramus. Et quoniam iis, qui baptizantur, tanquam Coeleſtis adeptionis filiis nomina imponuntur, caveant, ne illa ſint profana, vel Ethnicorum hominum, ſed omnino Sanctorum, vel Sanctarum, quorum exemplo baptizati ad pie vivendum excitentur, & adjuventur patrocinio.

Cum infans in neceſſitate domi baptiſmum acceperit, ſaltem infra octo dies ad Eccleſiam Parochialem deferatur (25) pro ſupplendis omiſſis caeremoniis, Parochus tamen diligenter inquirat, an omnia eſſentialia in collato Baptiſmo interfuerint, & ſi prudens dubium de validitate ſuboriatur, ſub conditione rebaptizet.

Expoſiti infantes, de quibus certa ſcientia non habetur, utrum ſint baptizati, conditionalibus ſimiliter verbis baptizari debent, quamvis teſtimonium ſchedulae ſcriptae ab ignoto ſcriptore de baptiſmo collato, collo appenſum habeant; conſerventur tamen ſymbola, & ſigna penes expoſitos inventa, & in libro Baptizatorum deſcribantur; ſi tamen in ſchedula expreſſum fuerit nomen impoſitum, idem nomen ipſi imponatur.

Baptiſmus extra caſum neceſſitatis abſque Patrino, vel Matrina non miniſtretur, & unus tantum ſive vir, ſive mulier, vel

(25) Rit. Rom. de Bapt.

ad ſummum unus, & una adhibeantur; moneantur autem a Parocho hujuſmodi ſuſceptores de contracta cognatione ſpirituali, quae matrimonium dirimit, inter eos, ac baptizatum ipſum, & illius Patrem, & Matrem; ac inſuper moneantur de obligatione (26) inſtruendi baptizatum in regulis Fidei, & morum. Curet etiam Parochus Parentes infantis admonere, ne in lecto ſecum ipſi, vel nutrices parvulum habeant, uſque dum expleverit primum aetatis annum; propter oppreſſionis periculum.

Habeant omnes Parochi ſub diligenti cuſtodia librum bene compactum, & contextum, & in eo antequam diſcedant ab Eccleſia, deſcribant Baptizatorum nomina, ſerv. prorſus forma Rit. Rom. adnotatis die, anno, & menſe Baptiſmi collati per extenſum, non notis compendiariis, aut arithmeticis. Hujus libri paginae omnes notentur numerorum ſerie, & in fine Indicem habeat.

CAPUT VI.

De Sacramento Confirmationis.

COnfirmationis Sacramentum, quo perfecti efficimur Chriſti Milites, & Spiritum Sanctum accipimus ad robur, ut pugnemus contra inviſibiles hoſtes, ac ſpirituales nequitias a Fidelibus ardenter deſiderandum, ac pie, dovoteque recipiendum. Proinde a Parochis moneantur omnes, ne hoc Spiritus S. ſignaculum recipere negligant, ac Myſteria, quae in hoc Sacramento continentur, explanentur, ut Cathecheſis illa, quam Epiſcopus per ſe, vel per alium immediate, ante Confirmationem praemittit, animos non rudes omnino reperiat. Atque inter alia explicare non omittant, Signum Crucis, quo in fronte ſignantur qui hoc Sacramentum accipiunt, commemorationem continere Nos gloriari in Cruce Domini Noſtri Jesu Chriſti, quem confiteri erubeſcere non debemus, olei unctione liniri, veluti Athletas, qui praeparantur ad pugnam, atque ut inviſibilis gratiae Spiritus S. effectus myſtice deſignentur.

Qui

(26) Conc. Trid. Seſs. 24 Cap. II. de Reformat. matrim.

Qui hoc Sacramentum recipere debent, ſint perfectae aetatis, nempe juxta Cathechiſmi Romani doctrinam ſeptennio non minores; inſuper in Fidei rudimentis inſtructi, ſi vero natu grandiores, prius confeſſi ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum accedere debent.

Patrini aſſumantur pro maſculis, Matrinae pro foeminis, ſinguli natu majores, ſingulis ejuſdem Sexus; nullus inſuper, qui non ſit confirmatus, poteſt eſſe in Confirmatione Patrinus, & ſi fuerit, non contrahit cognationem ſpiritualem; ſit etiam Patrinus diverſus ab illo, qui fuit in Baptiſmo (27). Sciant autem Patrini, & Matrinae, eos ſpiritualem contrahere cognationem, quae matrimonium contrahendum impedit, & dirimit, & jam contracti uſum impedit, cum confirmato, ejuſque Patre, & Matre (28).

Parochi confirmandis, qui ſciunt rudimenta Fidei, tradant ſchedulam, in qua nomen, aetas, & Parochia, itemque nomina, & cognomina Patris, & Matris, ac Patrini, vel Matrinæ ſint deſcripta. Eaedem autem ſchedulae in actu adminiſtrationis Sacramenti ſolerter alligantur, & inde quantocius in libro bene compacto deſcribantur, adjecto nomine Epiſcopi confirmantis cum die, menſe, anno, & loco juxta formam Ritualis Rom.

CAPUT VII.

De SS. Euchariſtiae Sacramento.

DE Euchariſtiae Sacramento tanquam Sacrificio inferius erit dicendi locus. De ea igitur inſpecta, prout eſt Sacramentum, pauca monere ſupervacaneum non erit, quae ejus ſumptionem reſpiciunt, reverentiamque, dum exponitur, aut aſſervatur in Tabernaculo, aut ad infirmos defertur.

Frequentem Euchariſtiae ſuſceptionem maxime acceptam eſſe Domino, qui in hoc Sacramento divitias effudit charitatis ſuae, Sanctorum doctrinae, atque exempla ſuadent, & vox ipſa Eccleſiae, quae in Concilio Tridentino, ſe exoptare declarat, ut in

(27) Can. in Catech. X. de Conſec. dixt. 4.
(28) Conc, Trid. Cap. II. de Reform. matrim.

ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolum ſpiritualiter, ſed etiam Sacramentaliter comunicarent. Verum, cum divini judicii formidine ad Sacram Menſam quiſque accedere debet, vel rarius, vel crebrius, juxta diſpoſitionis, ac devotionis cujuſcumque modum; ideoque prudentiae, & judicio Parochorum, & Confeſſariorum, qui ſecreta cordium ſcrutantur committimus, quid pro cujuſque ſalute, inſpecta conſcientiarum puritate, & frequentiae fructu, adamuſſim ſervando decretum de quotidiana communione a Venerabili Servo Dei Inn. XI. adprobatum. Caveant vero Confeſſarii, ne pretextu vitae innocentis, ſuorum poenitentium ſinant, eos ſine praevia confeſſione ſacramentali pluribus diebus Communionem ſumere, ne ſecretae praeſumptioni praebeant occaſionem, neve ſuperbiae humanae noxium ſuppeditent fomentum.

Curent Parochi, ut omnes eorum curae ſubjecti praecepto ſatisfaciant annuae communionis tempore Paſchali; Proinde unicuique Fideli tunc communicanti dent ſchedulam, qua praecepto Paſcali ſatisfeciſſe comprobetur; curent praeterea, ut pueri, poſtquam ad aetatem decem annorum pervenerint, incipiant accedere ad Menſam Euchariſticam, atque huic praecepto ſatisfaciant, quod, ut recte procedat, ſatagant puerorum animos diſponere ad tantum Sacramentum digne ſuſcipiendum, quod efficient diebus quadrageſimalibus, aliiſque feſtis, quibus Chriſtianam doctrinam illos edocebunt. Id vero non temere faciendum eſt, & nulla probatione praemiſſa, ſed examine praecedenti, quo innoteſcat, utrum in Fidei rudimentis ſint inſtructi, quae ſcire oportet, antequam communicent. Parochos, Confeſſarios, Sacerdotes omnes hortamur, ut bene impenſum aeſtiment laborem, quo pueros praeparant ad Communionem recipiendam, & Domino obediunt dicenti, ſinite parvulos venire ad me. Contra vero hujuſmodi officio non ſatisfacientes diſtrictam rationem Judici aeterno reddituros ſe ſciant, eo, quod ſaepiſſime amiſſa in pueris innocentia funeſtus effectus ſit, vel dilatae Sacramenti Euchariſtici ſuſceptiones, vel debitae praeparationis in eodem ſuſcipiendo omiſſae.

Tranſactis porro diebus octavae Pentecoſtes, munus Parochorum, aliorumque, quibus incumbit Cura animarum, erit illarum ſtatum conficere, atque inter caetera ſchedulas requirere, ex quibus innoteſcat, utrum Communionis praecepto ſatisfecerint Fideles. Idcirco ſchedulae iſtae, ex quibus id conſtat, non ſolum moribus,

ſe

ſed etiam foeminis dentur, ut contra eos, quos innotuerit, contumaciter Euchariſtiam ſumere noluiſſe juris ordine ſervato, & juxta reſcriptum (29) Piiſſimi Regis Noſtri ſub die 20. menſis Martii 1793. poſſit ad Interdicti poenam procedi (30).

Pro publica SS. Euchariſtiae expoſitione conſtitutio ſervetur Bened. XIV. jubentis in Eccleſiis tam Saecularium, quam Regularium Euchariſtiam ſine Epiſcopi licentia exponi non poſſe publicae Fidelium venerationi. Quoties autem hujuſmodi licentia obtenta fuerit, curent ii, ad quos ſpectat, ut in Altari exponatur decenter ornato, ſuper quo, ſaltem quatuordecim cereae candelae ſint accenſae, nec ſuper eodem Altari, in quo exponitur Jeſus Chriſtus in Sacramento, adſint imagines, vel reliquiae Sanctorum. Hortamur autem in Domino omnes Eccleſiarum noſtrae Dioeceſis Rectores, ut hujuſmodi publica SS. Sacramenti expoſitio fiat (praeter alias vices, quibus id expedire Populi devotioni judicent, quod non ſine Epiſcopi licentia faciendum, uti dictum eſt) quolibet anno in tribus illis diebus, qui immediate praecedunt diem Cinerum, ut Populus Chriſtianus a bacchanalium ludorum illecebris abſtineat.

Privata vero viſitatio Euchariſtiae fiat ſaepius, & ſi fieri poteſt, etiam quotidie in cunctis Eccleſiis Parochialibus hora, quae Populo opportunior judicabitur. Eſt quippe deteſtanda ingratitudo illa, qua multi ſummum hoc oblivifcuntur divinae charitatis beneficium. Qua in re devotionis hujus ferventius exemplum daturos Eccleſiae miniſtros confidimus.

Euchariſtiam decentiſſimo loco adſervandam nullus ignorat, niſi, qui Catholicam Fidem ejuraverit. Eccleſiarum Rectores curent, ne ultra octo dies ſpecies panis conſecrati in tabernaculo detineantur, ſed illis ſumptis hoſtiae recenter conſecratae ſubſtituantur. Praeterea ante Altare, ubi Sacramentum adſervatur, duae lampades, vel ubi Eccleſiarum paupertas excuſet, una ſaltem ardeat noctu, diuque, ſi culpa eorum, ad quos ſpectat, in id vigilare, aliter factum fuerit, ſuſpenſionis poena juris ordine ferenda punientur.

CA-

(29) In Syn. Append. num. 3.

(30) Conc. Later. 4. sub Inn. III. Cap. omnes utriusq. sexus de Poenit., et remiss.

CAPUT VIII.

De Sacramento Poenitentiae.

SAcramentum Poenitentiae, quod merito ſancti Patres ſecundam poſt naufragium deperditae gratiae tabulam appellarunt, ſaepe ſaepius frequentari a Chriſti Fidelibus enixiſſime cupimus, & in Domino hortamur, cum aptius remedium ad peccata vitanda ſit ſaepius confiteri. Non deerunt Parochis rationes, quibus Fideles ad hujuſmodi frequentiam hortari poterunt, nempe difficilius fieri, quod rarius fit; eam eſſe peccatorum naturam, ut pondere ſuo in alia trahant, ſi eorum remiſſionem conſequi negligamus; periculorum mortis, in quibus verſamur, multitudo, & piorum hominum praxis, qui Chriſtiane vivunt, ſaepius accedendo ad Poenitentiae Sacramentum. Ad eorum memoriam revocent, quod ex praecepto Eccleſiae (31) omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, confiteri tenetur, ſaltem ſemel in anno, ſub poena contra Contumaces, Interdicti ab ingreſſu Eccleſiae, & privationis Eccleſiaſticae ſepulturae. Praeter haec eos doceant tempora, quibus cuncti ad tam ſalutare lavacrum confugere debent, utpote ſi vitae periculum immineat, ſi primus mulieri inſtet partus, vel alia hujuſmodi generis contingant.

Confeſſarii autem poenitentes ſuos moneant, ſuadeant, corrigant; ſunt enim ſpirituales Doctores, Medici, & Judices, ut ſcientiam Sanctorum in docendo, prudentiam, & charitatem in medendo, juſtitiam in judicando ſtudioſiſſime adhibeant. Scientiam hauriant ab Apoſtolicis Conſtitutionibus, a Conciliis Generalibus, a S. Patribus, a probatis Canoniſtis, & Theologis: laxas devitent opiniones; & propoſitiones ab Apoſtolica Sede proſcriptas bene calleant. Maxima circumſpectione poenitentes de peccatis interrogent; ſtudeant, ut honeſtis explicentur verbis delicta luxuriae, & de iis caute inveſtigent; ſimulque caveant, in debitis circum-

(31) Conc. Lateran. 4. sub Inn. III. Cap. Omnis utriusque sexus de Poenit., et Remiss.

cumfamiliis impudica explorare, ne ipſimet in tentationem incidant, & in laqueum Diaboli; ne poenitentes peccare addiſcant, aut ad peccata provocentur. Abſit ab eorum vultu ſeveritas, & ab eorum verbis acerbitas, & in fine confeſſionis zelo utantur objurgationum. Voluntaria, & proxima occaſione manentes, ex conſuetudine peccantes, ac recidivos, & ſufficientia emendationis ſigna non praeſeferentes, repellant ad tempus emendationis, memores illius Sententiae, non eſſe tanta facilitas peccandi, niſi eſſet tanta facilitas abſolvendi; famae, ac rei alienae debitores ad reſtituendum compellant, dilata, vel denegata abſolutione parere recuſantibus: & in his omnibus caveant, ne a Poenitentibus illudantur ad ſacramentalem captandam abſolutionem. Juſtitiam obſervent in imponendis poenitentiis, ut pro qualitate criminum, & poenitentium conditione ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungant, quae a peccato revocent, & quaſi froeno coerceant, cautioreſque faciant poenitentes. Sciant Poenitentiales Canones, prout monet S. Carolus, ut ſaltem eos poenitentibus pro opportunitate manifeſtare poſſint, & ita Eccleſiae judicio peccatorum ſuorum gravitatem, & meritas poenas percipiant. Caveant, ne munera a poenitentibus accipiant, nec pro ſatisfactionibus eis imponant, Miſſas ab ipſis celebrandas, aut aliud onus ad ſui, vel ſuae Eccleſiae commodum, ut omnis omnino avaritiae ſuſpicio tollatur: de incertis reſtitutionibus non aſſumant diſponendi arbitrium, ſed integrum relinquant poenitenti (32); ſi vero detur eis aliquid alteri certo reſtituendum, ſedulo curent, per ſyngraphaṁ de accepto certos facere poenitentes. Cum Foeminis extra Sedem Confeſſionibus excipiendis addictam non colloquantur de rebus etiam ſpiritualibus, niſi breviter in caſu praeciſae neceſſitatis, quo excepto, nec ad earumdem domos accedant. In privatis domibus Sacramentum Poenitentiae non adminiſtretur, niſi in caſu neceſſitatis, exceptis Sacerdotibus, qui commode in Eccleſia confiteri non poſſint. Infirmarum mulierum confeſſiones non excipiant, niſi aperto Cubilis oſtio, quo aſpici, non vero audiri poſſint.

Monitos opportune facimus hic Medicos, & Chirurgos, ut memores de interpoſita juramenti Religione emiſſa in ſuſceptione gra-

(32) Ben. XIV. de Synodo Dioeces. Lib. V. Cap. V. n. 8.

gradus ultra tertium diem (33) non visitent infirmos; qui ab ipsis admoniti de expianda per Confessionem conscientia obedire recusaverint.

CAPUT IX.

De Sacramento Extremae Unctionis.

EXtrema Unctione Fideles periculose decumbentes perunCti, luctatores fiunt (34) contra Diabolum, ne vel timore, vel desperatione animus in agone opprimatur, & in misericordiarum Domino, qui nunquam deserit hominem, nisi deseratur ab ipso, respirare noscat.

Est hoc Sacramentum a Christo Domino institutum, nedum, ut animae languoribus medeatur, sed ubi ejus saluti expedierit, etiam corpori tribuat sanitatem, cum autem humani generis hostis hanc plerisque rudibus, & ignaris mentem injecerit, ut credant, actum esse de vita illius, qui sancto oleo est inunctus, & solum ei supereſſe sepulchrum; ex quo fit, ut a Sacra unctione, perinde, ac ab ipsa morte abhorreant; ideo non negligant Parochi suaves hujus Sacramenti fructus Populum edocere.

Monet Cathechismus Romanus, gravissime peccare, qui illud tempus aegrotum angendi expectant, cum jam omni salutis spe amissa, vitae, & sensibus carere incipiat; constat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo adhuc integra, mens, & ratio viget, fidemque, & religiosam animi voluntatem afferre potest, Sacro Oleo liniatur. Sedulo igitur solliciti sint Parochi, ut eo potissimum tempore infirmo praebeant coelestem hanc medicinam, cum illam pietate, & religione percipere valet.

Adultis periculose decumbentibus Extrema Unctio est administranda; pueris quoque usum rationis, & discretionis habentibus,

(33) Conc. Generale Lateran. sub Inn. III. 1226. Constit. S. Pii V. 8. Martii 1566.

(34) Conc. Trid. de Sacram. Extremae Unct. Sess. XV. Cap. 2., et 3 et Can. 2.

bus, ac doli, & culpae capacibus, quamvis ad alia Sacramenta recipienda nondum admiſſi fuerint, hoc Sacramentum conferatur.

Amentibus item, ſi aliquando ſui compotes fuerint, ſecluſo tamen irreverentiae periculo.

Demum caveant Parochi, ne ſuos aegrotos praeſertim in extremis laborantes poſt adminiſtrata Sacramenta ſtatim deſerant, ſed curent omnino vel per ſe, vel per alium Sacerdotem idoneum, & pium eis continuo aſſiſtere, libentiſſime opitulando in agone mortis conflictantibus, & periculo damnationis expoſitis; nec deſinant ſaepe ſaepius excitare in illis actus Fidei, Spei, & Charitatis, reſignationis in Deum, aliarumque virtutum, benedictionem Apoſtolicam in articulo mortis ſibi a Nobis ſubdelegatam illis impartiantur juxta formam a Benedicto XIV. (35) praeſcriptam.

CAPUT X.

De Sacramento Ordinis.

NUlla major dignitas, nulla ſors felicior in terris, quam in ſortem Domini vocati: nullus autem ſibi ſumere honorem debet, ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron (36), illi vero a Deo vocari noſcuntur, qui nec cupiditate, nec ambitione, ſed puriſſima voluntate ſerviendi Deo, in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo ad Altaris miniſterium perducuntur. Quamobrem Nos Apoſtolicis verbis moniti, *manus cito nemini impoſueris* (37); ut circumſpecte, quantum humana fragilitas ſinit, in ordinatiſſimis hujus Sacramenti gradibus procedamus, infraſcripta omnia ſervari volumus.

Primo igitur mandamus, ut Spiritualibus prius incumbant exercitiis, octo ſaltem diebus in aliqua pia, vel Religioſa Domo a Nobis aſſignanda; & ibi unuſquiſque probetur, quo ſpiritu ra-

(35) Bened. XIV. Conſtitut. Pia Mater 5. Aprilis 1747.
(36) Ad Hebr. 5. 4.
(37) Ad Tim. c. 5. 22.

piatur. Nullus autem ordinandorum per interpoſitam perſonam, aut per literas commendatitias ad ſui promotionem praeſidium quaerat, monente divo Bernardo, *pro quo rogaris ſis tibi ſuſpectus, qui pro se rogat, jam judicatus eſt.*

Qui promoveri cupiunt, coram Nobis ſe ſiſtant cum ſupplici libello, ut quidquid de ipſis Nobis videatur, audiant, poſtquam ſecretis etiam informationibus eos dignos eſſe cognoverimus. Hinc die a Nobis ſtatuta ante ordinationem ſequentia per ipſos erunt exhibenda requiſita in noſtra Cancellaria.

PRO PRIMA TONSURA.

1. Fides de Baptiſmo, ac de legitimis natalibus, & de Confirmatione.
2. Fides de vita, moribus, reverentia erga majores, & frequentia doctrinae Chriſtianae. Aſſociationis Sanctiſſimi Viatici, & triennalis ſervitii fideliter Eccleſiae, cui ſunt adſcripti.
3. Fides de frequentia Confeſſionis, & Communionis.
4. Fides de frequentia Scholae.
5. Atteſtatio Actuarii Curiae Laicalis, quod non ſint inquiſiti, & proceſſati.
6. Fides de proclamationibus factis, quod non obſtet Canonicum impedimentum.
7. Literae Teſtimoniales Ordinarii Loci pro iis, qui ultra tres menſes in aliena Dioeceſi moram duxerunt.
8. Fides de beneficio Eccleſiaſtico; vel Patrimonio jam conſtituto juxta taxam hujus Dioeceſis ſcilicet 25. aureorum.
9. Fides exercitiorum Spiritualium.
10. Fides approbationis in examine pro ſcientia inſtituto.

PRO ORDINIBUS MINORIBUS.

1. Bulla primae Tonſurae, vel minoris ordinis ſuſcepti.
2. Fides pacifici poſſeſſus reddituum Patrimonii.
3. Fides bonorum morum, & vitae laudabiliter peractae, ac de inceſſu in habitu, & Tonſura Clericali, de frequentia doctri-

nae

nae Christianae ; ac de frequenti , & devota associatione Sanctissimi Viatici.

4. De frequentia Confessionis, & Communionis.
5. Servitii Ecclesiae praestiti.
6. De continuatione studii, ac profectu in literis addiscendis.
7. Assistentiae Congregationi casuum moralium, & Sacrorum Rituum, & praedicationi Verbi Dei.
8. De Spiritualibus exercitiis devote peractis.
9. Fides Curiae Episcopalis non esse inquisitos, vel processatos.
10. Fides proclamationum.
11. Fides approbationis in examine.

PRO SUBDIACONATUS ORDINE.

1. Bulla Acolytatus.
2. De legitima aetate annorum 22. inceptorum cum Fide Baptismi.
3. De publicationibus peractis, nulloque impedimento detecto ad promotionem.
4. De irreprehensibili vita, morumque honestate ; de assiduo incessu in habitu, & tonsura Clericali, de associatione Sanctissimi Viatici, & de assiduo interventu , & auxilio praestito in edocendo Doctrinam Christianam.
5. De Sacramentorum frequentia.
6. De servitio fideliter Ecclesiae praestito.
7. De necessitate , ac utilitate Ecclesiae , quatenus occurrat Dispensatio super interstitiis.
8. De assiduo interventu Conferentiae Casuum moralium , & sacrorum Rituum, praedicationi Verbi Dei, & expositioni Sacrae Scripturae.
9. De Spiritualibus exercitiis.
10. De diligenti studio peracto in Theologicis disciplinis, vel moralibus, vel in jure Canonico.
11. Fides ex qua constet , promovendos esse in numero eorum , qui correspondent singulis centenis Animarum , in uno quoque loco degentium.
12. Fides exercitiorum Spiritualium.

13. Juramentum de non alienando Patrimonio.
14. Beneficium, vel acta Patrimonii jam conſtituti, & Fides pacificae poſſeſſionis.
15. Approbatio in examine pro ſcientia inſtituto.

PRO DIACONATU.

1. BUlla ordinis Subdiaconatus.
2. Fides de legitima aetate annorum 23. inceptorum.
3. De proſecutione ſtudiorum Sacrae Theologiae, vel moralis, vel juris Canonici ad biennium.
4. Fides frequentiae Sacramentorum octo ſaltem quibuſque diebus.
5. De exercitio ordinis Subdiaconatus.
6. Juramentum pacificae poſſeſſionis Patrimonii, & perceptionis fructuum: reliquae Fides, & Requiſita fiant, ut ſupra.

PRO PRESBITERATU.

1. BUlla Ordinis Diaconatus.
2. Fides Baptiſmi aetatis 25. anni incepti.
3. Fides ſollemnis miniſterii Diaconatus.
4. Fides de proſecutione ſtudii Theologici.
5. De neceſſitate, aut utilitate Eccleſiae, quatenus occurrat diſpenſatio ſuper interſtitiis. Reliquae Fides, & Requiſita fiant, ut ſupra.

Die a Nobis aſſignanda ad Examen accedant, quod a Nobis cum Examinatoribus Noſtris explebitur, & quiſque examinabitur circa ſequentia Doctrinae capita, quae pro unoquoque ordine adnotantur.

PRO MINORIBUS ORDINIBUS.

1. NOtiones unumquemque ordinem reſpicientes; Sacramenta in Genere, & Sacramentum Ordinis.

PRO

PRO SUBDIACONATU.

1. De actibus humanis.
2. De Conſcientia.
3. De Voto.
4. De Juramento.
5. De horis Canonicis.
6. De Subdiaconatu.
7. De Cenſuris, & Irregularitate.

PRO DIACONATU.

1. De Baptiſmate.
2. De Euchariſtia.
3. De Legibus.
4. De Reccatis.
5. De Simonia.
6. De Diaconatu.

PRO PRESBITERATU.

1. De Sacrificio Miſſae.
2. De Poenitentia.
3. De Contractibus in genere, & in ſpecie.
4. De Reſtitutione.
5. De impedimentis Matrimonii.
6. De Fide, Spe, & Charitate.
7. De veritate Religionis Criſtianae.

Cum examini promovendi omnes ſubjicientur pro ſequenti ordine ſuſcipiendo, parati eſſe debent, ad examen iterum ſubeundum circa tractatus illos, quos examini expoſuerunt in ordine praecedenti, rationem quoque reddent tractituum ejus diſciplinae, cui operam dederunt ſex illis menſibus, qui examinis tempus praeceſſerint, omneſque ante Presbyteratus ſuſceptionem abſolute calleant

leant Tractatum de veritate Religionis Christianae, atque ad examen subeundum in eodem Tractatu parati sint, atque insuper examini subijcientur circa peritiam in cantu Gregoriano.

Cum non deceat eos, (38) qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere, nemo ad sacros ordines accedat, nisi titulum habeat beneficii Ecclesiastici, aut Patrimonium ad normam Concordati. Patrimonium in re stabili, & natura sua fructifera constituatur, quae sit libera, hypothecis non affecta, nec ullo aere alieno gravata. Si quis autem falsum, aut fictum Patrimonium supposuerit, sciat, se ipso jure in suspensionem incidere (39) a cujus vinculo relaxari non poterit, nisi vero reali, & legitimo Patrimonio constituto. Ad removendam autem quamcumque fraudem, quae a consaguineis, vel ab aliis committi possit, cum Patrimonium Ordinantis constituunt, praecipimus, ut contractus hujusmodi coram Nostro Vicario Generali celebretur, qui diligentem a Parochis, vel a Vicariis Foraneis informationem capiat, & bona, redditus &c. in Patrimonium constituenda in propria cujusque Parochiali Ecclesia Populo enunciare faciat, tribus diebus festis non contiguis inter Missarum sollemnia. Praeterea a duobus testibus juratis testimonium accipiat, bona praedicta jure, & pacifice possideri a Patrimonium constituente, cui tantum superst, quantum sufficiat ad vitae sustentationem, nullumque praejudicium induci fratribus, vel sororibus, si in bonis paternis, vel maternis constituatur, etiam vivo Patre. Jurent similiter contrahentes, nullum inter se pactum fraudulentum intercessisse, neque fictitium, fiduciarium, aut falsum esse Patrimonium constituendum; neque fructus ex illo percipiendos donanti retrocessuros aliquando.

Tandem ordinatus in Praesbyterum primam Missam non celebret, nisi de nostra expressa licentia.

CA-

(38) Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 2.
(39) Can. Sanctorum. Distinct. 70. Cap. cum secund. de Praeben.

CAPUT XI.

De Sacramento Matrimonii.

Reſtat, ut pauca de matrimonii Sacramento ſubnectantur. Abſque temeritatis nota dici poteſt mala, quae in familiis multis Chriſtianis deplorantur, nempe diſcordias inter viros, & uxores, ſcandala, quae filii a Parentibus accipiunt, rectae educationis omiſſionem, atque alia crimina, quibus Sancta Tori Fides violatur, plerumque originem acceptam referre peccatis, quae matrimonium praeceſſerunt, aut caecitati illi, unde fit, ut Sacramentum iſtud non ea, qua par eſt ſanctitate, a Chriſtianis multis ſuſcipiatur. Hinc munus erit omnium eorum, ad quos ſpectat animarum cura vigilare, ne ſponſi ante matrimonium initum ſimul cohabitent, vel ſimul periculoſe converſentur, atque huic malo, ubi in eorum Paraeciis evenire contigerit opportunis admonitionibus occurrant, quae ſi audire Sponſi neglexerint Judicis Saecularis auctoritatem ad illos compeſcendos implorent. Praeterea Sponſi ante matrimonii celebrationem peccata ſua confiteantur, & Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumant. Qui enim in mortali peccato exiſtit, non poteſt ſine ſacrilegio matrimonium contrahere, nec licite hujuſmodi matrimonio poteſt Parochus aſſiſtere. Ante matrimonii contractionem Sponſi examen ſubeant, utrum ſint in Fidei rudimentis inſtructi, & num ſciant actus Fidei, Spei, Charitatis, & contritionis. Qua de re conſcientiam oneramus eorum, ad quos ſpectat teſtimonium ferre, atque actis matrimonialibus inferre circa ſponſorum in Doctrina Chriſtiana peritiam. Denique obtenta licentia ab Epiſcopali Curia matrimonium celebretur coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote per ipſum deputando, qui Tridentini Concilii, & Ritualis Romani regulas exacte obſervet, ac ſi Nuptias ſollemniter ſit benedicturus adhibeat formulam in Miſſali Romano contentam.

CA-

CAPUT XII.

De Miſſae celebratione.

UT per Melchiſedech Sacerdotem (40) benedictio circa Abraham poſſet rite celebrari, praecedit ante imago Sacrificii in pane, & vino, ſcil. conſtituta; quam perficiens, & adimplens Dominus, panem, & calicem vivus obtulit; & qui eſt plenitudo, veritatem praefiguratae imaginis adimplevit: & ita (41) legalium differentiam hoſtiarum unius Sacrificii perfectione ſancivit. Hinc (42) carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una Corporis, & Sanguinis Chriſti implet oblatio, quoniam ipſe eſt verus agnus Dei, qui tollit peccata Mundi, & in ſe univerſa perficit myſteria, ut ſicut unum eſt pro omni victima Sacrificium, ita unum de omni gente ſit Regnum. Pridie enim, quam pateretur Apoſtolis ſuis in ſui commemorationem hoc fieri traditione monſtravit (43), atque eiſdem, eorumque in Sacerdotibus ſucceſſoribus, ut offerrent, praecepit: Unde (44) quoties hujus Commemoratio celebratur, opus noſtrae redemptionis exercetur. In Divino quippe Sacrificio (45) quod in Miſſa peragitur, ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur, qui in Ara Crucis ſemel ſeipſum cruente obtulit: quapropter unam, eamdemque fatemur eſſe hoſtiam, eumdem nunc offerentem Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, donum, & gratiam poenitentiae concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit, cruentae oblationis fructus, per hanc incruentam uberrime largiendo. Merito igitur ſumma cura adhibenda eſt, ut Sacrificium (46) Miſſae omni Religionis cultu, & veneratione celebretur.

(40) S. Cyprian. ad Caecil. lib. 2. ep. 3.
(41) Eccl. in Dom. 2. post Pentec.
(42) S. Leo serm. 8. de Pass. Domini.
(43) Ecc. Sec. Fer. 5. in Coena Domini
(44) Ecc. in Domin. 9. post Pentecos.
(45) Conc. Trid. Sess. 22. Cap 2.
(46) Conc. Trid. Sess. 22. in dec.

lebretur, utque quam maxima fieri poteſt cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis ſpecie peragatur.

Cogitent igitur quali ſint inſigniti Sacerdotes honore, & qua ſemper innocentiae ſtola veſtitos eſſe oportet, nec ſaepe ad Chriſtum totius innocentiae fontem, niſi per puritatis Sacramenta confugiant, quamvis ſibi, nullius mortalis culpae conſcii eſſe videantur. Etenim nemo coram Altiſſimo (47), qui in Angelis ſuis reperit pravitatem, eo animi candore, eaque cordis puritate, se praeditum praeſumere debet, ut longo tempore, abſque ſaltem irreverentiae nota, & ſuperbiae labe, ſacramentali poſthabita Confeſſione, ad Miſſae ſacrificium accedat. Optandum quidem eſſet, ut Sanctorum virorum exempla ſequentes, toties peccata ſua confiterentur, quoties erunt celebraturi; ſaltem tamen ſemel in hebdomada poenitentiae ſacramento expientur, prout Nos Concilii primi Mediolanenſis vocibus admoniti, ipſos in Domino obſecramus; Caveant autem, ne ſacris veſtibus induti, cum aliquo colloquantur, aut loquentibus dent aures, ſed mentem in tanti myſterii cogitatione defigant.

Quotidiana Miſſae celebratio Chriſti inſtitutioni, atque Eccleſiae ſpiritui, eſt maxime conſentanea. Hinc, ut omnes Sacerdotes quotidie ſacrificent, optamus; at ſimul hortamur, ut vitam quotidiana celebratione dignam inſtituant. Sic enim ait S. Bernardus (48) nobis vivendum eſt, ut panem illum ſuperſubſtantialem ſemper accipere mereamur, quia vae ei, qui ſe alienum fecerit ab eo; & multum vae illi, qui immundus acceſſerit; utrobique grande periculum, ideo magna neceſſitas inſtat, ne indigni inveniamur. Attamen juxta Conc. Tridentini Statuta cujuſcunque gradus ſint Sacerdotes, ſaltem diebus Dominicis, & ſollemnioribus Feſtis Sacrificium offerant. Ii vero, qui curam animarum gerunt, tam frequenter celebrent, oportet, ut proprio muneri ſatisfaciant. Miſſa vero celebrata, ut in gratiarum actione maneant Sacerdotes ſaltem per horae quadrantem, hortamur, memoria recolentes, Tobiam ab Angelo viſitatum cum ſua Familia horas tres in faciem proſtratum Deum benedixiſſe, atque exemplo ſuo acediam

(47) Job. 4. 18.
(48) De ord. vitae.

exprobrare Sacerdotibus illis, qui Dei viſitationem parvi pendunt, gratias referre pro tanto munere negligentes. Hortamur quoque, ut Miſſae praeparatio, & gratiarum actio in ipſa Eccleſia, vel ejus Sacrario fiat pro aliorum exemplo, atque aedificatione.

Non ſolum interior cordis munditia, ac pietas, ſed exterior quoque devotio in Sacrificio adhibenda eſt. Hinc exacte obſerventur caeremoniae in Miſſali Romano praeſcriptae. Nam uti ait S. Auguſtinus (49) non contemnitur, niſi impie id, ſine quo pietas ipſa perfici non poteſt. Cum omni attentione, diſtinctione, gravitate, animique ſedatione, ſingula, quae ad ſacrum Miſſae officium pertinent a Sacerdote pronuntientur, ac peragantur, impia illa feſtinatione amota, quae irreverentis animi, & ſemimortuae fidei indicium eſt. Hæc, qui perpenderit, animadvertet, dimidiam horam pro Miſſa abſolvenda, aut ſaltem tertiam horae partem inſumendam (50). Si vero, quod abſit, Sacerdos aliquis ita feſtinus inveniatur, atque indevotus, qui Miſſae abſolvendae ne quadrantem quidem horae impendere velit, ſuſpenſione a Sacro miniſterio repellatur, ne Sacerdotio fungatur, donec didicerit, reverenter tantum peragere Myſterium.

Ad Miſſam celebrandam Sacerdos non admittatur, niſi talari veſte indutus, qui ſecus fecerit, ſuſpenſione punietur, non ſecus, ac Sacriſta id permittens, juxta Regia Reſcripta in appendice hujus Synodi contenta; Alterius Dioeceſis Sacerdos ſine Curiae noſtrae licentia in Civitate, alibi vero, ſine Rectoris illius Eccleſiae permiſſu ad celebrandum, vel alia Sacramenta miniſtranda admittendus non eſt. Obtenta vero licentia praedicta ad Sacriſtam pertinebit curare, ut talari indutus Sacrificium celebret.

Memoria recolant Chriſti Sacerdotes a Tridentino prohiberi cujuſvis generis mercedum conditiones, illiberales, ac importunas pro Miſſis celebrandis eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quae a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quaeſtu non longe abſunt. Eleemoſynam prò Miſſa celebranda ad vitae ſuſtentationem dari compertum eſt. Caveant proinde Sa-

(49) Lib. 17. contra Faustum cap. 11.
(50) Bened. XIV. de Sacrifi. Missae lib. 3. cap. 24.

Sacerdotes, ne unquam animo ſtipem lucrandi celebrent, ne Judae imitatores imo etiam ipſo nequiores fiant.

In omnibus Eccleſiis Parochialibus noſtrae Dioeceſis ſaltem diebus feſtis omittenda non eſt celebratio Miſſae in aurora, atque alterius Miſſae prope meridiem, ac proinde executioni demandetur quidquid pluribus Sanctae Viſitationis Decretis id ipſum praecipientibus conſtitutum fuit.

In diebus feſtis nemo celebrare audeat dum Miſſa Conventualis celebratur, ut Populus Divini verbi pabulum recipiat, ac ſollemnioribus ritibus fidelium devotio magis excitetur. In Cathedrali vero ſi Epiſcopus ſit celebraturus, vel Miſſae adſiſtere voluerit (quod Sacriſtae nunciabitur) incaepta prima horarum Canonicarum nemo celebrare praeſumat, donec Miſſa Pontificalis, vel ea, cui Epiſcopus adſiſtit fuerit abſoluta.

In Eccleſiarum Sacrariis adſint Tabellae, in quibus deſcripta ſint onera perpetua Miſſarum, atque Anniverſariorum, quae ſunt perſolvenda per annum. Extent quoque libri, in quibus Sacerdotes celebrantes adnotare teneantur ſatisfactionem Miſſarum perpetuo onere Eccleſiis praedictis adnexarum. In Miſſa peragenda ſervetur Ordo Divini Officii, qui in lucem quotannis prodibit pro noſtrae Dioeceſis uſu.

Ne Populo commodum deſit Miſſam audiendi, in diebus feſtis Eccleſiarum Rectores curabunt, ne plures quam duo, vel tres Sacerdotes eodem tempore Miſſam celebrent in eadem Eccleſia.

CAPUT XIII.

De vita, & honeſtate Clericorum.

POſt ea, quae Sacramenta, & ſacrificium ſpectant, ſunt quaedam ſtatuenda circa vitam, & honeſtatem eorum, qui Sacramentorum, & Sacrificii miniſterium vel jam ſuſceperunt, vel ſuſcipere cogitant, Clericorum nempe, qui primam, & nobiliſſimam membrorum Chriſti Domini partem conſtituunt (51) quorum

(51) S. Greg. lib. 14. Mor. cap. 16.

Digitized by Google

rum, quanto ſublimior dignitas, tanto ſanctior vita eſſe debet.

Qui illuſtria Status Sacerdotalis encomia perpenderit, quae e Scripturis Sanctis, & Patribus eruuntur vocantibus Sacerdotes Chriſti Legatos, Diſpenſatores Myſteriorum Dei, Homines Dei, Angelos, Fratres, atque amicos Domini, januas Civitatis aeternae, & janitores Regni Coelorum, imo Angelis ipſis officio ſuperiores conſtitutos, utique animadvertet, quo magis gratia praeponderat, eo magis vitam praeponderare debere (52).

Quicunque igitur in altiſſimo Sacerdotalis Dignitatis faſtigio ſunt conſtituti, vel ad eumdem gradum ſunt promovendi, prae oculis habeant, ad Sacerdotes dirigi verba illa, *vos eſtis Sal Terrae*, *vos eſtis lux Mundi* (53). Idcirco oportet, ut ea ſint interna atque externa morum ſanctitate praediti, ut ipſi ab omni ſaeculi corruptione immunes ſerventur, & Populos Coeleſtium rerum ſapore quodammodo condiant, & lucem circumferant bonorum operum, atque exemplo ſuo fideles aedificent. Hinc Sacerdotibus, Clericiſque omnibus praecipimus, ut ſobrie, juſte, & pie vivant in charitate non ficta, digne ambulantes vocatione, qua vocati ſunt, ut bonam militiam militent, in omnibus ſumentes ſcutum Fidei, galeam ſalutis accipientes, ſuccincti lumbos in veritate, induti loricam juſtitiae, ut pietatem ſectentur, & caſtitatem, aliiſque Chriſtianis virtutibus fulgeant.

Hanc vitae ſanctitatem, quam in ſuis Miniſtris exigit Chriſtus, non aſſequentur, niſi humiles, ferventeſque preces Deo offerant, gratias poſtulantes, quibus indigent, occaſioneſque vitent, quae ad Dei praecepta tranſgredienda inducunt. Hinc eos in Domino hortamur, ut per aliquod temporis ſpatium quotidie orationi vacent praeſertim illi, quae mente, & corde fit, meditato aliquo Religionis noſtrae myſterio: *deſolatione* enim *deſolata eſt univerſa terra*, *quia nullus eſt*, *qui recogitet corde* (54). In animum reducant omnibus Fidelibus tam ſaepe orandi praeceptum in Evangelio inculcatum, multoque magis eo adſtringi Eccleſiae miniſtros, qui uberiori indigent gratiarum fonte, atque exorare Deum

(52) S. Ambroſius.
(53) Matth. 5.
(54) Jerem. Cap. 12. 11.

Deum tenentur, non pro ſeipſis tantum, ſed etiam pro Populo.

Sicut autem, cum oramus, ipſi Deo loquimur, cum vero ſpiritualia legimus, Deus nobiſcum loquitur (55), ita poſt orationem, lectionem ſpiritualium librorum, praeſertim vero Divinae Scripturae omnibus Eccleſiaſticis commendamus. Hortamur quoque, ut ordinem degendae vitae ſibi conſtituant, qua a temporalibus curis alieni ſoli Deo placere ſtudeant, atque animarum ſalutem procurare.

Quoniam inter praecipuas Clericorum obligationes illa adnumeratur, qua tenentur praebere ſeipſos exemplum bonorum operum, ita ut modeſtia eorum nota ſit omnibus hominibus, hinc Tridentini Concilii inhaerentes veſtigiis praecipimus, ut Clerici omnes in ſortem Domini vocati vitam, moreſque ſuos ita componant, ut in habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nil, niſi grave, moderatum, ac Religione plenum, praeſeferant, ut a luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, atque a negotiis ſaecularibus abſtineant, non ſolum gravia, ſed etiam levia delicta, quae in ipſis maxima eſſent, effugiant (56). Tandem ſcenicis repraeſentationibus ne interſint, perſonati incedere non audeant, Canones, qui cohabitationem cum mulieribus vetant, exacte obſervent, ab exercendo officium Agentium vel Oeconomorum ſaecularium perſonarum, ut ſe abſtineant, diſtricte praecipimus; atque Advocati munus minime exerceant, niſi in caſibus a jure permiſſis.

Nullus Clericorum comam nutrire, vel cincinnatam, vel cipri pulvere conſperſam ferre praeſumat, tonſuram, & Coronam Clericalem in capite ferant omnes Clerici, unuſquiſque ſuo ordini congruentem; ſi ſecus fecerint, poenis Canonicis puniantur.

Inſuper praecipimus, ut habitum nigri coloris induant omnes Clerici, cujuſcunq; ſint dignitatis; qui ſit talaris, ſi ad Miſſam celebrandam, vel Sacramenta adminiſtranda, vel Divina officia perſolvenda; ad Eccleſiam accedant, uti ſtatutum eſt Regiis literis diei 21. menſis Auguſti 1779. in Appendice hujus Synodi contentis num. 2., & 3. Si ſecus factum fuerit, tranſgreſſores punientur

(55) S. August. Serm. 112. de temp.
(56) Trid. Sess. 22. de Reform. Cap. 1.

tur poenis Canonicis, & juxta praedictas piissimi Regis nostri leges. Clerici vero, qui Sacerdotio adhuc non sunt insigniti, atque ii, quibus animarum cura actu incumbit, habitum talarem semper gerere teneantur. Clericorum habitus modestiam praeseferens tanti ductus est in Ecclesia Catholica, ut inter gravissima negotia, quae in Conciliis Generalibus sunt pertractata, neglecta non fuerit disciplina, quae ad modestiam spectat habitus Clericalis.

Post vitae sanctitatem, qua Clerici fulgere debent, sequitur, ut dilectis Sacerdotibus, Clericisque omnibus nostrae Dioecesis Oseae verba commemoremus (57). *Quoniam tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*: cum igitur Ecclesiae Ministris summopere necessaria sit scientia, ut suo munere recte fungantur, & Sacramenta rite administrent (ignorantia enim est Mater omnium errorum) atque, ut Populum docere possint ea, quae sunt necessaria ad salutem, nam ipsi supra Plebem constituuntur, ut eam erudiant, si autem caecus coeco ducatum praestet, ambo in foveam cadent, idcirco hortamur omnes in Domino, ut studio vacent; scientiam excolentes non eam, quae inflat, sed eam, quae aedificat, ac proinde praesertim Sacrae Scripturae Canones, & Sanctorum Patrum Libros, saepe versent, ac Theologiae tum Dogmaticae, tum Moralis, nec non liturgicae Scientiae, sive Sacrorum Rituum doctrinae, sedulo operam naveut, cantumque Gregorianum addiscere satagant.

Ad excitandum amorem erga studium Scientiarum, quibus Ecclesiastici praediti esse debent, plurimum conferre collationes Casuum moralium, & rerum liturgicarum, experientia docet non solum in aliis Dioecesibus, verum etiam in hac nostra Dioecesi, in cujus locis, tempore Visitationis nostrae, hujusmodi collationum laudabilis mos, vel institutus fuit, vel ubi exoleverat, restauratus, & Principis lege munitus (58). Hinc praecipimus, ut hujusmodi collationes fiant semel in hebdomada, atque ad easdem conveniant omnes Clerici in Sacris, & Sacerdotes. Collationes praedictae ita disponantur, ut una vice casus morales discutiantur, altera vero res liturgicae pertractentur.

Ab

(57) Cap. IV. 1.
(58) In calce Synodi n. 1.

Ab Epiſcopo conſtituetur in unaquaque Eccleſia Praefectus, qui iisdem praeſit, cujus erit caſus proponere, atque alius, qui Secretarii munere fungetur. Jam vero, Secretarii partes erunt, librum habere, in quo Sacerdotum, & Clericorum in ſacris nomina deſcribat, & ſtatuto die, quo collatio habetur, eos notabit; qui nulla legitima cauſa impediti ad eamdem accedere neglexerint. Proinde ſi acciderit aliquem legitime impeditum eſſe, Secretarium certiorem facere teneatur de abſentiae cauſa, atque ex eodem libro extrahentur teſtimonia adſiſtentiae Congregationi praedictae, quae tanquam requiſita, erunt exhibenda, quoties opus erit, ſervata forma laudati Regii Diplomatis. Praeterea Secretarius, alium librum conficiet, in quo caſus propoſitos, eorumque ſolutiones deſcribat.

Denique animadvertentes, ea omnia, quae a piiſmo Rege Noſtro Ferdinando ſtatuta fuerunt, de admiſſione ad participationem Eccleſiarum, quas receptitias nuncupant, nec non de aliis diſciplinae Eccleſiaſticae capitibus in Regiis literis editis die 26. menſis Auguſti anni 1797. plurimum conferre ad Eccleſiaſtici ordinis pietatem, decus, atque in ſacris ſtudiis profectum, hoc Synodali Decreto ſancimus adamuſſim eſſe obſervanda. Sicuti etiam exacte obtemperandum ſtatuimus, Regiis literis diei 26. Decembris anni 1795. ab eodem Religioſiſſimo Principe editis de proviſione per Concurſum Canonicatuum hujus noſtrae Cathedralis Eccleſiae, quapropter omnes praedictas Regias literas in calce hujus Synodi apponendas curavimus, num. 6. 7. & 4.

CAPUT XIV.

De officiis, & reſidentia eorum, qui ſunt Choro addicti, & Parochorum.

PRaecipuum, ac nobiliſſimum munus Canonicorum, aliorumque, qui Choro ſunt addicti, eſt publico totius Eccleſiae nomine Supremo Domino bonorum omnium largitori ſacrificium laudis offerre, culparum veniam implorare, pro cunctis neceſſitatibus praeces effundere, & pro acceptis beneficiis gratias rependere. Ut autem omni animi pietate, ac diligenti attentione iſtud adim-

adimpleant, ne currant uno veluti impetu linguae, verba non glomerent, non ſyncopent, & praecipue caveant, ne pars una proprium verſum incipiat, niſi altera uſque ad ultimam ſyllabam ſuum expleverit (59); ſed devote, & attente curent uniſone laudare, & benedicere Dominum. Animadvertentes autem plurimum obeſſe devotioni illi, qua Divinae laudes ſunt perſolvendae, ſi Laici Chorum ingrediuntur tempore, quo Divina ſunt peragenda, cum ad Nos relatum fuerit, non ſine animi noſtri moerore, hujuſmodi abuſum alicubi adhuc vigere, hinc praeſenti Synodali Decreto Eccleſiaſticis ſanctionibus inhaerendo praecipimus, ut Laici tempore, quo Divina perſolvuntur, Chorum ingredi audeant: curent idcirco Chori Praefecti, ut hujuſmodi Decretum executioni demandetur. Singulis annis Punctatores eligantur, qui poſt electionem, juramentum praeſtent de ſuo munere fideliter exercendo; quod ſi hoc onus ſuſcipere, vel juramentum praeſtare recuſaverint, a Nobis cogentur.

Punctatores ſtudioſe explorent, & in libro bene compacto notent omnes, quicunque ii fuerint, qui Sacras horas, & Divina officia non obierint, quique contra ea, quae his Synodalibus Conſtitutionibus praeſcribentur, in Choro quidquam fecerint, qua in re nullius odio, amore, ſpe, aut metu moveantur: ſi aliquem injuria notaverint de ſuo ei ſatisfaciant; ſi vero notandum praetermiſerint, de ſuo item tantum dent, quod ad praeſentium commodum convertatur. Liber punctaturarum in Sacrario clauſus conſervetur, ſed ſingulis petentibus oſtendatur, & Nobis requirentibus exhibeatur. Punctaturae ſcribantur ſtatim poſt diſceſſum a Choro in Sacrarium; punctentur autem non ſolum, qui integro die, vel ſingulis horis abſunt, ſed etiam, qui cum aliis non recitant, vel canunt, qui officium, vel alias praeces privatim tunc perſolvunt: qui Choro non interſunt veſtibus Choralibus induti: qui literas, vel aliud ſcriptum legunt: qui colloquuntur, aut riſum commovent: qui hac, vel illac concurſaverint; qui acedia abrepti diſceſſerint, & in Sacrario, vel alibi moram notabilem fecerint abſque licentia Praefecti Chori: qui Miſſas privatas celebrant, dum in Choro officium, vel Miſſa Conventualis peragitur,

(59) Inn. III. in Cap. dolentes de Celeb. Miſſ. Clem. 1. eodem titulo.

tur, niſi petita ſit venia ab eodem Chori Praefecto pro Eccleſiae, & Populi ſervitio. Meminerint abſentes, punctaturas eſſe omnino ſolvendas illis, quibus competunt, neque ſuas in Foro conſcientiae poſſunt diſtributiones facere, etiam, ut in opera pietatis, & eleemoſynas convertantur: nec juvari quavis colluſione, condonatione, vel remiſſione, etiam de totius Capituli conſenſu (60) non obſtantibus, quibuſcunque ſtatuis, & conſuetudinibus.

Ut autem Divinas laudes continuate valeant in Choro perſolvere, reſidere tenentur: idcirco Conc. Trid. lege cautum eſt (61), Dignitates, Canonicatus, Praebendas, aut portiones in Cathedralibus, aut Collegiatis obtinentes non licere vigore cujuslibet ſtatuti, aut Conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe, ſalvis earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quae longius ſervitii tempus requirunt. Sciant ergo, ſatis non eſſe, eos in Civitate reſidere, niſi ſint in Choro praeſentes (62); ideoque eos, qui non abſunt ab Eccleſia, vel a Civitate, ſed ab Eccleſiae ſervitio tot vicibus, ut trium menſium praeſcripta quantitas annuo ſpatio ſuperetur, habendos ad mentem Concilii pro abſentibus, quamvis intermiſſis, & interpolatis diebus abſuerint. Ne vero Eccleſia debito fraudetur officio, ultra tertiam partem uno, eodemque tempore non abſint a Choro (63). Nemo item abſit ſine noſtra licentia tempore Adventus, & Quadrageſimae, aut diebus Dominicis, & Feſtis totius anni, multoque minus ſollemnioribus diebus Nativitatis, videlicet, & Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti cum ſua octava (64).

Quod attinet ad Parochos, quae ſparſim in hac Synodo tradita ſunt de Verbi Dei praedicatione, de Doctrina Chriſtiana, de Sacramentis, aliiſque ad Parochorum miſterium pertinentibus, ab ipſis impleri nunquam poterunt, niſi continuam in Eccleſiis ſuis habeant reſidentiam. Ideo a Tridentino cautum eſt (65), eos quandocunque abeſſe contigerit, nunquam abeſſe poſſe, niſi juſta, & rationabilis diſcedendi cauſa a Nobis cognita, & probata ſit, & niſi noſtra accedat licentia expreſſa in ſcriptis pro bimeſtri tantum

(60) Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 12. de Reform.
(61) Conc. Trid. ibid.
(62) Bened. XIV. Not. 109. n. 32.
(63) Bened. XIV. ib. n. 34.
(64) Bened. XIV. Notif. XVI. n. 98. Ferr. Verb. Can. art. 5. n. 4.
(65) Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 1. Sess. 6. cap. 2. de Reform.

Digitized by Google

tum concedenda, ſubſtituto cum noſtra etiam facultate, & approbatione Oeconomo, qui ſui vicem gerat: quoad caeteros vero Sacerdotes, atque inferioris ordinis miniſtros ſtatuimus, ne inconſulto Epiſcopo a proprijs Eccleſiis diſcedant, ſub poenis, quae continentur in Regiis Literis idem jubentibus, quae in Synodi calce exaratae inveniuntur. *num.* 5. — Quoad loca Dioeceſis ſi tempus non ſuppetat obtinendi hujuſmodi licentiam a noſtra Curia, petenda eſt a Noſtris Vicarijs Foraneis.

Cum autem Eccleſiae omnes hujus noſtrae Civitatis, & Dioeceſis ſint receptitiae, & Sacerdotes iis adſcripti, de illarum emolumentis participantes, Parochorum ſint Coadjutores, monitos hic volumus, Parochos ipſos Sacerdotibus praedictis, juxta immemorabilem, & laudabilem Eccleſiarum conſuetudinem uti debere in ſupplementum, quando ſcilicet Paſtoralia munera per ſeipſos exercere non poſſunt. Parochos enim, quorum perſonalis induſtria electa eſt, oportet eſſe primos in opere; monitos etiam hic volumus, Praesbyteros ſummam se aeterno Judici, & Nobis rationem reddituros, nec ea, quae ex animarum cura obveniunt emolumenta, jus ſibi eſſe percipiendi, ſi adjutrices ſuas manus, quas ab ipſis Paſtorale Parochorum miniſterium jure, meritoque praeſtolatur, exhibere renuant.

CAPUT XV.

De Monialibus.

FLorem Eccleſiaſtici germinis, portionemque illuſtriorem Gregis Chriſti Virgines appellat S. Cyprianus (66), atque earum, quo ſublimior gloria eſt, eo majorem curam eſſe ait. Quamobrem Sanctorum Epiſcoporum veſtigiis inhaerendo, qui de Monialibus in Dioeceſana Synodo ea ſtatuerunt, quae opportuniora judicarunt, ſanctitati tuendae Virginum Sponſarum Jesu Chriſti, pauca de iiſdem decernere ſupervacaneum non eſt.

Mo-

(66) De disciplina, et habitu Virginum.

Monales in memoriam revocent Divi Bernardi verba ſemetipſum interrogantis, *Bernarde ad quid veniſti?* animo proinde ſaepe verſent finem ſanctae vocationis ad Religioſum ſtatum, atque ad quid venerunt, ſemetipſas interrogent. Animadvertentes autem, ſe religioſis votis obſtrinxiſſe, ut ſanctae corpore, & ſpiritu, quae Domini ſunt, cogitarent, eique perfectius inſervirent, opere adimplere ſtudeant, quod corde, & ore promiſerunt. Proinde caſtitatem, & paupertatem ſervent, obedientiam ſectentur, clauſuram cuſtodiant, orationi vacent, divinum officium perſolvant, rerum temporalium curam abjiciant, Regulis exacte obtemperent, colloquia non ſolum noxia, ſed inutilia vitent, atque exceptis Conjunctis primi, & ſecundi gradus, cum nemine colloquantur, niſi obtenta licentia Epiſcopi in loco ferreis cancellis munito, qui vulgo dicitur *Crata*, & modum ſervare teneantur a ſui ordinis regula ſtatutum, nempe cum interventis earum Monialium, quas Auſcultatrices vocant. Quae omnia Auguſtus Rex Noſter Ferdinandus ſuo Regali Diplomate diei 11. menſis Aprilis 1795. obſervari mandavit ſub poenis in eodem Diplomate contentis.

CAPUT ULTIMUM.

De Synodalibus Conſtitutionibus ſervandis, & Synodi concluſione.

FRatrum noſtrorum zelo, ac pietate freti, nullum fore confidimus, qui ſervare negligat ea, quae ad majorem Dei gloriam, ad Eccleſiaſticae diſciplinae nitorem, atque ad ſalutem animarum ſunt in hac Synodo conſtituta veſtigiis inhaerendo generalium Conciliorum, atque Apoſtolicarum Conſtitutionum. Quamobrem has Synodales Conſtitutiones ab omnibus, ad quos ſpectat, ſervari praecipimus, poſt earum publicationem. Sin autem (quod Deus avertat) aliqui invenientur, qui vocatione, qua vocati ſunt, digne non ambulantes, Conſtitutionibus praedictis contraire audeant, poenis Eccleſiaſticis a jure ſtatutis coercendos ſe sciant.

Synodum hanc concludimus declarantes, Conſtitutionibus hiſce auctoritatem noſtram circumſcriptam non eſſe, ſed poſſe Nos

illa addere, quae bono animarum noſtrae curae commiſſarum magis expedire cenſuerimus, uti etiam, ubi opus fuerit, in iis, quae in Synodo conſtituta ſunt, diſpenſare.

Sanctam Romanam Eccleſiam veluti omnium Matrem, ac Magiſtram agnoſcentes, judicio Beatiſſimi Patris Noſtri Pii Papae VII. Vicarii Jesu Chriſti ſubjicimus ea omnia, quae in hac Synodo continentur.

Denique Eccleſiae vocibus dilectiſſimi Fratres excitemur, ut gratias agamus Domino Deo noſtro pro acceptis beneficiis eum rogantes, ut quemadmodum infra Pentecoſtes octavam Nos hic congregare dignatus eſt, ita Spiritum Sanctum ſuum Nobis donare dignetur, ut finem vocationis noſtrae conſequi mereamur per Jesum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſaecula ſaeculorum. Amen.

FORTUNATUS EPISCOPUS TRICARICENSIS.

Nicolaus Can. Theol. Marone Secretarius.

Matthias Lorigi hujus Epiſcop. Curiae Cancell. ac Synodi Notarius.

RO-

ROGITUS ACTORUM.

IN DEI NOMINE. Amen.

Anno a Nativitate Domini noſtri JESU CHRISTI millesimo octingentesimo, Indictione tertia, die quinta mensis Junii, Feria V. infra octavam Pentecoſtes, Pontificatus vero SS. in CHRISTO Patris PII Divina Providentia Papae septimi, anno primo, FERDINANDO IV. Pio Felici Auguſto utriusque Siciliae Rege.

